Stuffken. Demetrius Magnete

DISPUTATIO PHILOLOGICA

DE

DEMETRIO MAGNETE.

DISPUTATIO PHILOLOGICA

DE

DEMETRIO MAGNETE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOHANNIS HENRICI STUFFKEN,

THEOL. DOCT., IN FAC. PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

GUILIELMUS ANTONIUS SCHEURLEER,

Amstelodamensis.

DIE XV M. MARTII MDCCCLVIII, HORA III—IV.

IN AUDITORIO MAIORE.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD FRATRES VAN DER HOEK.

MDCCCLVIII.

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE.

Parentibus.

PRAEFATIO.

Ad illa, quae inter alia negotia conscripsi, nihil praemonendum habeo et iuvat integrum hunc praefandi locum servare, ut dulci pioque officio defungar.

Quum ad Te primum me converto, Clarissime Cobet, *Promotor aestumatissime, vehementer mihi commovetur animus. Quanta enim Tibi debeam, ut animo penitus sentiam, tamen verbis significare nequeo. Tu mea quoque studia adiuvare nunquam denegasti, sed ultro semper promovisti; Te quoties in re dubia aut incerta consulebam, nunquam frustra adibam; Tu mihi auctor fuisti ut pulcherrimum illud dissertationis argumentum tractarem; Tua institutione mentis facultatem etsi tenuem colere et vita uti fruique dedici, illa me fructum et imbutum esse laetor, Tuum vero discipulum me factum esse tum demum gloriari audebo, si unquam mihi evenerit, ut Te studiorum duce me non omnino indignum praestiterim, felicemque me praedicabo si discipulis Tuis semper annumerari et ad Tuum ingenium et prudentiam confugere mihi licebit.*

Te Clarissime BAKE, *praeceptorem me quoque nactum fuisse summopere gaudeo et gratissimus memoria recolo, nam et ipse expertus sum, quanto ardore iuvenum animos ad optima studia incendere quantaque comitate eos excipere non desinas. Utinam, ut gratorum condiscipulorum verbis Tibi optabamus, Tu nunc, emeritis muneris stipendiis, per longam annorum seriem Litterarum et Academiae decus ac firmamentum maneas.*

Tibi Clarissime DOZY *non minus sinceras quam debitas ago gratias, ad dulcissimum illud quadriennium respiciens, quo in Academiae luce degebam et Tuas lectiones summa cum voluptate frequentabam. Tu quoque non dedignatus fuisti in familiaritatem Tuam me admittere, et ut omnes, qui Te cognorunt, ego Te suspicere et diligere didici; quantum amorem Historiae studiorum, in quibus Tu regnas, Tu mihi impertitus sis, nunc quidem verbis significare supersedebo, postea factis ostendere malo.*

Vos quoque, Viri Clarissimi, DE VRIES, STUFFKEN, SCHOLTEN, KAISER *et* VERDAM, *Vobis persuasum habeatis velim, me Vobis pro Vestra institutione, non tam solemniter quam candide gratias agere.*

Vos denique, amicissimi Commilitones, valete meique ne immemores este!

Scripsi Sassenheymi, m. Martio MDCCCLVIII.

DEMETRIUS MAGNES.

Triennium est ex quo in Germania celeberrimi philologi a Simonide et alia et Uranium scilicet acceperunt, acceptumque edere paraverunt, Uranii non textum tantum verum et vitam antea aeque ignotam iis dedit Simonides; etenim futuri editores quum editionis principis specimina proponere iam in animo haberent et intelligerent multum interesse scire quisnam fuisset ille Uranius, ne tunc quidem iis defuit Simonides sed alterum librum a se repertum habere narrabat eoque libro contineri Demetrii Magnetis opus *περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων*. Quaedam hinc, ut aiebat, desumta protulit de vita Uranii et Nonni Dionysiacorum auctoris, quaeque inde super Uranium suum editor nactus erat ea non dubitavit ad operis edendi specimina adiicere, nihildum fraudis suspicatus nec reputans an fieri posset ut in libris a genuino Demetrio Magnete conscriptis Nonni aut Uranii vita enarraretur [1]). Cur autem cum Uranii vita Nonni potissimum expromsit Simonides ex suo Demetrio? Nimirum idem Simonides eodem anno quo in Germania profecturus

[1]) Cf. A. Lykurgos, Enthuellungen ueber den Simonides-Dindorfschen Uranius. 2e auflage, Leipzig 1856, p. 41 et 57. The Athenaeum febr. 16, 1857, p. 201 seq.

erat, antea cognoverat Parisiis Comitem de Marcellum, qui quum multum diuque sed frustra occupatus fuisset in Nonni denuo sibi edendi biographia conscribenda tandem ei a Simonide fragmentum quoddam suppeditatum est, in quo fragmento initium Demetrii Magnetis operis, vita Nonni eiusque ὁμώνυμοι inessent. Et quantae fallaciae circa Demetrium sibi struerentur de Marcellum quoque latuit, attamen paulo cautius et prudentius, quam in Uranio alii mox fecere, se gessit, re enim bene perpensa, ut narrat de Marcellus [1]), postea Simonidi se novis illis subsidiis non usurum dixit, quippe qui graviter ibi quod ad Nonnum, peccatum esse in temporum rationem intellexisset. Quum igitur his ipsis temporibus Demetrium Magnetem semel et iterum memorari videmus, simul apparet quam oblitterata eius notitia sit quantumque σκότος ἐπιπεπόλακεν. Fuit tamen neque vir ignobilis, neque obscuris temporibus vixit, contra doctrinae laude floruit, opusque celeberrimum scripsit, unde multi postea hortulos suos irrigarunt, adeo ut eius memoriam operisque reliquias servarint scriptores qui in omnium manibus esse solent. Dum maior fragmentorum pars, Demetrii nomine omisso ad nos pervenerunt, et idcirco hodie latitant Demetriique esse fere ignorantur, tamen ceteri loci, ubi testis citatur indicia tam diserta et luculenta praebent, ut bonam partem illorum, quae nunc ἀδέσποτα circumferuntur, suo auctori reddere liceat, quia bene constat cum de ratione operis, tum de tempore quo vixit.

Duo sunt scriptores, quorum unus Demetrio aequalis, alter eo iunior fuit. Horum prior ad Atticum suum epistolas duas [2]), eo tempore quo quotidianas ei scripsit, dedit, ubi alia et haec rogavit ut sibi Atticus velit mittere Demetrii Magnetis librum περὶ ὁμονοίας. Scripsit haec Cicero initio anni 705 U. C. 49

---

[1]) l'Athenaeum français 23 février 1856, p. 156 seq.
[2]) Cic. Ep. ad Att. VIII, 11 et 12.

a C., seque meminisse addit Demetrium suum librum ad Atticum mittere; ex his verbis apparet eum fuisse aequalem Ciceronis et Attici et huius amicum quoque ac familiarem fuisse ex illis Ciceronis verbis haud improbabiliter suspicati sunt. Neque solum id suspicari, sed valido argumento probare licet per Latini sermonis usum. Videlicet quum Cicero ait Demetrium ad Atticum misisse suum librum, ea opportunitate nos docet eum ista Attico inscripsisse seu dedicasse, qua de re unum nec longe petitum exemplum afferam: ipse Cicero libellum de Senectute Attico inscripsit et idcirco postea enumerans opera sua philosophica dixit: „Interiectus est etiam nuper liber is quem ad nostrum Atticum de Senectute misimus" (Cic. de Divin. II. 1). In tali re dicebant aut ad aliquem aut alicui mittere librum. (Varro de R. R. I. 1).

Cum testimonio Ciceronis qui solus ex Latinis Demetrii memoriam servavit, conferendus est Dionysius Halicarnassensis. hic Cicerone et Demetrio ita iunior ut eorum extrema tempora attigerit, queritur in libro de Dinarcho quod apud nullum antiquiorum qui de Atticis oratoribus egerunt, ut Callimachus et Pergameni, recte quid de Dinarcho scriptum viderit, quodque Demetrius Magnes visus diserta quaedam hic traditurus esse hanc opinionem esset frustratus. Sic enim loquitur Dionysius (de Dinarcho 1) „ἀλλὰ Δημήτριος (ita tandem scribatur ut scribendum esse pro corrupta forma Δῆμος primus monuit Casaubonus) ὁ Μάγνης, ὅς ἔδοξε γενέσθαι πολυΐστωρ ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ λέγων καὶ περὶ τούτου τοῦ ἀνδρὸς καὶ ὑπόληψιν παρασχὼν ὡς περὶ αὐτοῦ λέξων τι ἀκριβὲς διεψεύσθη τῆς δόξης". Haec verba non sine acrimonia quadam dicta, simul ostendunt Demetrium fuisse virum magna doctrinae laude florentem, et Dionysius, continuo ipsa Demetrii verba de Dinarchis subiungens, insigne nobis servavit fragmentum et totius operis specimen in paucis luculentum; praeterea Dionysius de Demetrio iam mortuo locutus est, ut loci color et illa ὅς ἔδοξε γενέσθαι

πολυΐστωρ evincunt, dum Cicero eius superstitis meminerat. Terminus quoad aetatem suam Demetrius produxerit iam ex Dionysio aliquatenus constitui posset, nisi lateret, quando hic sua de Dinarcho ceteraque rhetorica ediderit; vulgo quidem ante Antiquitates Romanas, quae in editionibus postponuntur, conscripta esse putantur. (Fabric. B. Gr. I. 783. ed. 1ae. cf. Bähr in Paulii Thes. II. v. Dion. Hal.). In praefatione ad Antiquitates Romanas (I. 7), quam opere ad finem perducto scripsit anno septimo ante Chr. n., testatur se duobus et viginti annis ante (Ol. 187. 3) venisse Romam, eo consilio ut Latinas litteras disceret, omneque id temporis spatium operi de Ant. Rom. condendo et conscribendo impendisse. Bello igitur civili composito adiit Romam (29 a C.) quum annum aetatis vicesimum quartum expleverat (Dion. Hal. II. 6. vide Dodwell in Dion. Hal. ed. Reiske Vol. I. p. LVII) itaque ante 53 a. C. natus, puer vel adolescens Ciceronis Demetriique tempora attigerit. Utrum Dionysius omnia rhetorica sua ante 29 Halicarnassi, an partem eorum postea Romae conscripserit, parum liquet, neque ex eo elici potest quot annis ante 29 Demetrius *τὴν περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείαν* ediderit, hanc vero post Actiacam pugnam non prodiisse et Demetrii aetas et quae supersunt fragmenta demonstrant. Ne patria quidem, qua Demetrius Magnes usus est, certo indicari potest, causa est ipsa illa de qua iamiam erit agendum *ὁμωνυμία*; tres enim Magnesiae in antiqua geographia occurrunt, duae urbes Asiae Minoris, tertia Thessaliae regio; hanc partem Thessaliae fuisse agrum et, perperam olim tertiam urbem Magnesiam excogitatam fuisse ostendit Niebuhrius (Vorträge über alte Länder- und Völkerk. p. 169). Ex utra Magnesia, utrum ex illa ad Maeandrum an ex altera ad Sipylum sita (de Thessalia hic non cogitandum) Demetrius oriundus fuerit forte constaret si integrum opus *περὶ ὁμωνύμων* superesset. Posses hic cogitare de Magnesia ad Maeandrum, quae altera longe celebrior, Themistoclis *μετοικίᾳ* et splendidissimo Dianae templo inclaruit, sicuti

enim ubi ἡ Μαγνησία nude dicitur, Cariae urbs significari solet, haud aliter is qui appellatur Μάγνης indidem oriundus fuisse putandus esset; at nihil temere decernendum, neque desunt qui nude dicti Μάγνητες tamen ad Sipylum nati erant, ut Cleon, Simonides historici. Ipse Strabo, concinnus si quis alius scriptor, haec confudisse videtur: solet in quaque nobiliore urbe geographicis addere viros notissimos aut de patria optime meritos; non omnes sibi recensendos sumpsit sed celeberrimos et in republica versatos, ἐν οἷς τὸ πραγματικὸν καὶ εὐμνημόνευτον καὶ ἡδὺ διατρίβειν (Strabo p. 13 C.). Fecit hoc et in Magnesia ad Maeandrum ibique primum posuit Hegesiam, Asianae eloquentiae auctorem, Atticae corruptorem. Strabonem secuti scripserunt Hegesiae Magnetis patriam fuisse urbem ad Maeandrum, verum illos et Strabonem redarguit ipse Hegesias de se scribens: „ἀπὸ Μαγνησίας εἰμὶ τῆς μεγάλης, Σιπυλεύς". Dionysius Hal. (de comp. verb. c. 4) inter alia haec protulit ut exemplis ostenderet Hegesiae genus scribendi fuisse μικρόκομψον, et ex eodem nobis palam fit quonam studio motus Hegesias suam Magnesiam ad Sipylum, altera longe obscuriorem et per se inhonoratam, dixerit Μαγνησίαν τὴν μεγάλην.

Quum de vita Demetrii, ut multorum aliorum, testium difficultate notitia ad nos pervenit nulla, age iam ea aggrediamur quae potissimum nobis tractanda sunt, ipsius opera. Horum alterius solum titulum solus Cicero servavit, alterius alii alia fragmenta praebent.

Ciceroni laudatur liber περὶ ὁμονοίας, Dionysio ἡ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματεία, et de utriusque operis argumento bene constat. Cicero probat librum illum περὶ ὁμονοίας ter sibi laudatum, fuisse argumenti philosophici atque, ut vel ex titulo suspicareris, disputationem de concordia continuisse. Sic enim apud Ciceronem scriptum invenimus: (Ep. ad Att. VIII. 11) „Memini librum tibi afferri a Demetrio Magnete (ad te missum scio) περὶ ὁμονοίας, eum mihi velim mittas, vides quam cau-

sam mediter," et iterum (Ep. ad Att. VIII. 12) „et quod ad te ante scripsi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit de concordia, velim mihi mittas."

Haec Cicero Attico scripsit initio a. 49 a. C. quum Caesar, Rubicone traiecto, Romam appropinquabat et Pompeius, bello civili iamiam ardente, Italia cedere parabat; interim Cicero ex Cilicia redux in Italiam, vehementer paci studebat et compositionem se posse efficere sperabat, verum illa spes mox evanuit, ubi Pompeius cum maxima optimatium parte Brundusium petiit, et paucis diebus post Cicero Attico scripsit: „actio de pace sublata est quam quidem ego meditabar. Itaque postea Demetrii librum de concordia tibi remisi." His Ciceronis verbis fretus iure G. I. Vossius (de Hist. Gr. p. 193 ed. West.) dissensus est a Phil. Maussaco, qui in notis ad Harpocrationem, aliud agens, apud Ciceronem pro *ὁμονοίας* reposuit *ὁμωνύμων*, et optime Vossius se videre negavit, quid utilitatis opus *περὶ ὁμωνύμων* adferre ei potuerit, qui meditaretur aliquid ad pacem inter cives componendam. Neque Cicero dici potest fando tantum inaudivisse de Demetrii opere quum meminerit id Attico adferri, nam ut ex postremo allato loco videmus, Cicero revera ipsum librum ab Attico accepit; praeterea quum se scire hunc librum ad Atticum missum i. e. dedicatum fuisse addit, suspicandi locus datur, Demetrio cum Cicerone quoque familiaritatem intercessisse, qui eum aut olim aut superiore anno vidisset, quo proconsul cum imperio Graeciam Asiaeque Minoris partem denuo perlustravit, principes in litteris homines Graecos cognovit et cognitos iterum adiit; quum praesertim iam sexennio fere antequam librum de concordia per Atticum nactus erat, ad eum de Demetrio scripsit. (Cic. Ep. ad Att. IV. 11).

Alterum Demetrii opus est ipsa illa *πραγματεία* cuius causa disputationem nostram instituimus. Ex grandi illo opere pretiosam partem unus servavit scriptor notissimus, qui ob ea quidem, quae ipse ex ingenio suo protulit, contemnitur, contra

propter multa multorum fragmenta inter omnium manus versatur. Diogenes Laërtius tam crebro Demetrii opere usus est ut non solum eius verba, ubi nomen eius apposuit, transcripserit, sed tam solemne ei fuit, certa quaedam ex Demetrio verbo tenus describere, ut iam non necesse sibi duxerit singulis vicibus Demetrii nomen pro testimonio apponere. Ita in hoc campo unus Diogenes largiorem et integriorem messem praebet quam in multis aliis obtinere videmus, quorum fragmenta dissecta et dilacerata undique colligenda et conquirenda sunt. Quid autem hîc egerit Diogenes et quid ei debeamus ex ipso facile cognoscitur; ceteri quos Demetrii *ὁμωνύμοις* usos esse videmus, quaenam inde hauserint in universum intelligere, non vero distincte singula indicare licet; cuius rei duae sunt causae, tum quod Demetrii opus, quo sibi auctor inter *πολυΐστορας* locum paravit, in iis libris numerandum est, quod tantum non omnes terere solebant; tum quia in tanta librorum strage et iactura non integer Stephanus Byzantinus sed nonnisi epitome ab Hermolao Barbaro confecta ad nos devenit. Hanc si confers cum uno et altero fragmento aliunde postea depromto, ubi integra Stephani manus servata est (cf. Steph. B. ed. Mein. v. *Δωδώνη* seqq. et *Ἴβηρ*) apparet, epitomatorem perexiguam servasse partem et multo plura omisisse quam retinuisse. Solebant enim epitomatores res tantum transcribere, scriptorum vero laudatorum verba et nomina omittere, unde nemini mirum videbitur si hodie paucissima eorum, quae Stephanus Byz. ex Demetrio hausit, indicari possunt, neque ultra primum *στοιχεῖον* in Ethnicorum epitome Demetrii nomen occurrit.

Alia Stephanus Byz. alia Diogenes Laërtius ex Demetrio sumsit: hic quae ad scriptores, ille quae ad urbes pertinebant. Bifaria enim noster sibi tractanda proposuerat et opus suum inscripsit titulo *ὁμώνυμοι ποιηταὶ συγγραφεῖς τε καὶ πόλεις*. Collegit et sub suum quosque nomen disposuit tum scriptores tum urbes, eodem nomine gaudentes. Non solum nomina

virorum et urbium dedit, sed in scriptoribus praesertim hoc egit, ut vitam celeberrimi cuiusque, in plerisque brevius, in insignioribus copiosius narraret, deque eorum scriptis suam sententiam pronunciaret. Tale opus multorum studiorum fructum et hic quoque χαλεπὰ τὰ καλὰ fuisse, nemo non intelligit, secernenda probe distinguere non minus necesse quam difficile erat ob innumerabiles turbas et inextricabiles errores, quos genuit illa locorum ac virorum maxime ὁμωνυμία. Quos nodos ut explicaret et expediret Demetrius ipsorum, quos recensuit, opera diiudicabat, et alia etiam subsidia ei usui erant, patienti labore et ingenti eruditione comparata ab iis viris, quorum illa πολυϊστορίας et haud raro ἀνιστορησίας aetas feracissima fuit. Nam ut ceteri omnes Demetrius usus est Pergamenorum operibus et Callimachi πίναξι τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν; in Geographicis pendebat ab Eratosthene, qui primus et Historiam et Geographiam in artem redegit et utriusque systema condidit, quod systema omnes secuti ut Polybius, Hipparchus, Posidonius, deinceps correxere et auxerunt. Quicunque de antiquis auctoribus aliquid investigabat ei adeundi erant Callimachei aut Pergameni πίνακες [1]) et videtur Demetrius hoc quoque consilio opus suum περὶ τῶν ὁμωνύμων condidisse ut aliqua certe ratione illas tabulas adaugeret et ad sua tempora produceret. Neutri autem scholae neque Alexandrinae neque Pergamenae nomen dedit, sed ex illis scholis ubi Asiaticum dicendi genus colebatur, profectus fuit.

Id genus dicendi pessime oderat Dionysius Hal. [2]), qui magnus sibi rhetor et in historicis paene alter Thucydides videbatur, hinc ubi aliquem Asiaticum carpit, excandescit et insolita acrimonia quid sentiat, dicit.

---

1) Athen. p. 336 C. Dion. Hal. de Din. c. 1 et c. 11. Dion. Hal. de Demosthene et Aristotele c. 4.

2) Dion. Hal. de ant. orat. 1 et in c. 8 libri de Dinarcho, quem post illa de ant. or. conscripsit, ut ipse de Din. c. 1 testatur.

Demetrius, praeterquam rhetoricae, philosophiae quoque studuit et librum argumenti philosophici, ut Cicero docet, conscripsit. Quod in πολυΐστορι quidem nemini mirum videbitur, neque adhuc cuiquam nisi Baehrio dubio obnoxium visum est. Hic in Paulii Thes. II p. 938 dubitanter suspicatur a Demetrio Magnete Historico, ut Grammaticum nostrum vocat, distinguendum esse Attici amicum, qui περὶ ὁμονοίας scripsit; addit incertum esse relinquendum utrum hic Peripateticus an propter amicitiam Attici Epicureus numerandus sit. Baehrius forsitan, nullum enim argumentum profert, auctorem libri περὶ ὁμωνύμων et libri περὶ ὁμονοίας pro diversis idcirco habuerit, quoniam qui philosophus scripsit de concordia, idem ille non potuerit condere historicum opus de scriptoribus cognominibus. At si auctor libri περὶ ὁμονοίας fuit peripateticus, idem et alterum condere potuit, peripatetici enim eo valuere quod nullum eruditionis genus omittebant et ex iis plurimi πολυΐστορες profecti sunt; quod vero Baehrius eum qui περὶ ὁμονοίας scripsit, ob amicitiam Attici Epicureum habuit, id inde infeliciter confecit quod ipse Atticus fuerit Epicureus; ne dicam Atticum virum mitissimae indolis, et quo nemo Romanus plures Graecos homines suae aetatis cognovit, optime familiarem habuisse qui non Epicureus, sed Peripateticus aut Stoicus adeo fuerit, Atticus nequaquam fuit Ἐπικούρειος καθαρός, ut iamdudum ostendit Jonsius (II. 8. 4) et post eum fusius Hullemannus V. Cl. in Diatribe de T. Pomponio Attico p. 159—171. Ut neminem deceat. immemorem esse praecepti eiusdem Ionsii, monentis, satius esse distinguendo falli quam coniungendo errare, tamen unusquisque, qui quidem ex fragmentis hodiedum superstitibus Demetrium cognoverit, videbit Baehrii suspicionem, nullo argumento nisam, esse reiiciendam: constat enim intra unius hominis aetatem libros περὶ ὁμονοίας et περὶ ὁμωνύμων esse conscriptos; et nequaquam ab uno Demetrio Magnete abhorruit sed maxime ei convenit utrumque argumentum tractasse, qui optime calleret quae philosophos spec-

tabant et, ut a Diogene Laërtio in cuiusque fere philosophi vita seu testis citatus seu tacite adhibitus fuit, permulta de eorum vita et operibus inquisivisset. Hoc igitur dubio, si forte cui inhaerebat, sublato, iam ipsum Demetrii opus περὶ ὁμωνύμων aggressi videamus, qui factum sit, ut ad hunc usque diem optima fragmentorum pars fere latuerit. Nimirum Diogenes, philosophi vitae descriptae in plerisque subiunxit catalogum, quo continentur illi qui philosopho de quo modo egerat, ὁμώνυμοι fuerunt. Fecit hoc in prima ac quarta sibi descripta vita, Thaletis (I. 38) ac Pittaci (I. 79), fecit idem in reliquis plerisque; in utraque priore testem ad ὁμωνύμους laudat Demetrium Magnetem, in sequentibus non necesse sibi duxit ad singulas series Demetrii, per totum opus passim sibi laudati, nomen apponere. Hinc illae lacrymae; nomine Demetrii omisso, non apparuit cuinam hae series deberentur et vix unum alterumve ceteroquin egregium exemplum exstat, in distinguendis vel coniungendis ὁμωνύμοις Demetrii gravissimi hîc testis auctoritatem fuisse adhibitam; quin ipse Jonsius (I. 2. 3.), qui primus unde Diogenes hos catalogos nactus fuerit est suspicatus, ac diligentissime ὁμωνύμους omne genus ex diffusa lectione collegit, nunquam Demetrii auctoritatem adhibuit, sed saepius neglexit. Illa Ionsii suspicione felicius sed nonnisi semel et iterum usi sunt Ruhnkenius, Wyttenbachius, Dobraeus et Carolus Mullerus, qui omnes mea quidem laude non indigent. Mullerus ad ipsa fragmenta Historicorum Graecorum nondum his Demetrii catalogis pro testimonio usus, in quarto fragmentorum volumine p. 382 breviter et ceteris omnibus luculentius ἐν παρόδῳ Demetriani operis rationem aperiens, in uno eodemque opere tum de scriptoribus tum de urbibus homonymis eum egisse scripsit, quibus verbis subiicit, videri Diogenem tantum non omnia, quae in suis homonymis catalogis habet, ex Demetrio mutuatum esse. Post edita Historicorum fragmenta in Geographorum Minorum volumine primo prol. p. cxxxv Mullerus ostendit uno exemplo (cf.

infra Menipporum seriem) quam egregie usui sit Demetrius in iis quoque scriptoribus, quorum aetas aliunde incerta hinc arctioribus finibus circumscribi potest; id ita tamen ostendit ut non re explorata sed probabili suspicione se uti prudens significaret. At licet ex illa suspicione emergere et ad liquidum rem perducere, res enim ipsa loquitur, id quod semper plurimum valet; et constat neque Diogenis Laërtii doctrinae nec cuipiam alii nisi Demetrio Magneti hos deberi catalogos, nam sicuti quonam ille tempore vixerit novimus, sic quoque apparet cognomines in Diogene Laërtio servatos ad scribendum appulisse animum suum, praeterea nullum horum, neque ullum ex illis scriptoribus, qui in his catalogis testes laudantur, fuisse Demetrio aetate minorem, atque haec omnia stabilibit illa τῶν ἀξιολόγων Demetriorum series, ab eodem Diogene nobis servata ex Demetrio Magnete, qui inter hos se ipse laudare non potuit et nunc quidem eo ipso quod non visitur praefulget.

Nusquam operis titulus integer comparet, sed truncatus et corruptus, ac fieri vix potuit quin labem contraheret; in libro, qui ut Demetrii duplicis argumenti erat et longiore titulo utebatur eam tantum partem apposuere quae spectabat id quod ex opere sumebant. Diogenes Laërtius scriptorum seriem ex Demetrio excerpens Demetrium ἐν τοῖς ὁμωνύμοις aut ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων laudat, Harpocration ubi de Isaeo loquitur eodem modo ac Diogenes, ubi vero de urbe, eum affert ἐν ταῖς ὁμωνύμοις πόλεσι. Adde epitomatores, qui quantum possent brevitati studebant, cuius rei idem Harpocrationis locus testis est. Harpocration laudaverat Δ. ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων, in Epitome autem ultima verba hodie absunt, et Photius Harpocrationem transcribens, omisso operis titulo, nomen tantum Demetrii Magnetis retinebat. Denique scribis imputandum quod interdum ὁμωνύμοις in συνωνύμοις abierit. Haec commemorare supersedere potuissemus nisi irritamenta malorum fuissent et errores peperissent.

Illinc enim credidere Demetrium praeter librum de concordia duo opera condidisse unum de viris, alterum de urbibus cognominibus; unus tantum eorum, qui quidem de Demetrio scripserunt, Mullerus, quid rei esset perspexit; alter error natus est ex confusis ὁμωνύμοις et συνωνύμοις et variis modis hic peccatum est, quum quodnam discrimen inter ὁμώνυμα et συνώνυμα intercederet non omnes satis observabant. Casaubonus ὁ πάνυ in nota ad Diogenem Laërtium (I. 38) optime monuerat in Plutarcho, Demetrium ἐν τοῖς περὶ συνωνύμων laudanti, corrigendum esse ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων, at Vossius ita corrigendum negavit, nam, inquit, de utrisque egerat Demetrius; ille autem non solum in hanc falsam opinionem inciderat sed ex memoria Casaubonum vituperans hunc crediderat Diogenem correxisse, sed humani quid Vossio accidisse et Plutarchi ac Diogenis locos confudisse ostendit Baylius; idem vero Baylius, ceteroquin festiva quaedam ut solet ad sua de Demetrio apponens, Casaubono et Ionsio obtemperandum esse non vidit et nihil quidquam interesse utrum ὁμωνύμων an συνωνύμων scribatur temere dixit. Iidem errores ad posteros propagati sunt. Clintonus (Fasti Hell. III. p. 544. (Ed. 2ae p. 565) locos ubi Demetrii Magnetis nomen occurrit indicavit et quasi tria eius opera posuit unum περὶ ὁμονοίας, alterum ὁμώνυμοι, tertium περὶ συνωνύμων. Clintonum secutus est Westermannus; hic praeterquam in Eloquentiae Historia ter Demetrium attigit, primum in Quaestionibus Demosthenicis, tum in editione Vossii libri de Historicis Graecis, denique in Paulii Thesauro. In nota ad Vossii verba eodem quo Vossius errore tenetur, Vossius enim memoria lapsus crediderat Casaubonum correxisse Diogenem dum Plutarchum correxerat, et Westermannus, neque Casauboni neque Baylii verbis iterum inspectis, a Vossio sibi imponi passus est, quum antea in Qu. Dem. IV. p. 39. quid Casaubonus dixisset intelligens novissimos Plutarchi editores qui Casaubono obtemperarant reprehenderat. Idem coniecturam admodum infelicem protulit

(Qu. Dem. l. l.) ut perversam veterem opinionem qua Demetrius creditur scripsisse peculiarem librum *περὶ συνωνύμων πόλεων*, tueretur.

Eius ratiocinatio haec est: In Plutarcho Dem. c. 15 legitur: „*οὐ μὴν ὁ Δημοσθένης ἔγημε ταύτην (τὴν τοῦ Κτησίππου μητέρα) ἀλλὰ Σαμίᾳ τινὶ συνῴκησεν, ὡς ἱστορεῖ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς περὶ συνωνύμων.*" In hoc loco, ait Westermannus omnes quod sciat libros manu scriptos habere *συνωνύμοις*, verum recentiores editores, Coraeum et Schaeferum Casauboni monitu reposuisse *ὁμωνύμων*, qua coniectura licet speciosa tamen minime opus esse, nam non ex libro *περὶ ὁμων. π. τ. κ. σ.* sua hausisse Plutarchum, sed ex libro *περὶ συνωνύμων πόλεων*, quia Demetrius potuisset Demosthenis uxoris (sic), quae esset *Σαμία*, mentionem facere sub voc. *Σάμος*, cuius nominis plures essent urbes; praesertim quum gentile ab hoc et similibus nominibus derivatum admodum fluctuaret. In his veteres errores novo aucti sunt, nam Westermannus credidit eodem modo ac Stephanum Byzantinum, qui voc. *Σάμος* addit *τὸ ἐθνικὸν Σαμαῖος καὶ Σάμιος καὶ Σαμία καὶ Σαμιακός*, sic quoque Demetrium egisse; talia vero Stephanus in Demetrio nusquam invenerat, sed ab Herodiano aliisque mutuatus erat; Demetrius istiusmodi quid neque potuit neque voluit attingere in suo opere, in quo Callimachi aliorumque morem, ab ipso Westermanno descriptum, secutus, brevitati et concinnitati quam maxime studebat, neque Samorum seriei, si forte hanc conscripsit, aliena inepte immiscuit, qualia tantum eum qui *Σαμιακὰ* composuit colligere decuisset. Iamvero si tenemus Demetrium *πολυΐστορα* qui et rhetoricae et philosophiae operam dederit, celebriorum oratorum (cf. *Ἰσαῖοι*) et philosophorum vitas copiosius enarrasse, tum Plutarchum in eadem Demosthenis vita duo alia ex Demetrio desumta afferre, denique Demostheni fuisse unum certe *ὁμώνυμον* Demetrio antiquiorem poëtam, nemini dubium erit, quin ad ipsum Demosthenem Demetrium Samiae mulierculae

meminerit et quin vana suspicione inductus fuerit Westermannus, qua veterem errorem utcunque defenderet et tueretur. Ne in ceteris quidem ei prosperius res cessit, qui quidem pro re nata modo Demetrium virum haud contemnendi iudicii vocaret, modo obtusum ingenium illi obtruderet. (Qu. Dem. III. 118. IV. 41).

Unde autem factum, ut quum vidissent scribendum esse *περὶ ὁμωνύμων π. τ. κ. σ.* etiamnunc sint qui rati Demetrium peculiarem librum de urbibus fecisse istum librum titulo *περὶ συνωνύμων πόλεων* donarent? Nimirum codicum vestigia prementes scribas se ludificari passi sunt. Ubi Demetrius laudatur *ἐν τοῖς περὶ τῶν Ὁμωνύμων* cet. genuina scriptura plerumque salva evasit, contra ira Deorum effecit ut in unico loco, in quo peculiaris liber de urbibus videtur laudari, legeretur Δημ. ὁ Μ. *ἐν ταῖς Συνωνύμοις πόλεσι.* Huic Harpocrationis loco (v. Μεθώνη) adde Plutarchum a Casaubono correctum, adde Stephanum Byz. v. Ἀλαβών, ubi *ὡς Δημήτριος ἐν Συνωνύμοις* [1]) et omnes illos infaustos locos habebis. Iam si numero locorum pugnandum esset, vel sic victricibus armis decertaremus. At non numero haec iudicantur, sed pondere. Vidimus Baylium affirmare nihil interesse utra forma hic scribatur, et ait solos dialecticos et logicos discrimen hoc observasse. Et observant id logici Graeci, non vero quia propria quadam lingua utuntur, verum quod omnes ubi significant unum idemque nomen pluribus commune esse, haec *ὁμώνυμα* vocabant, ex ratione linguae qua in priore vocabuli parte illa ipsa communio et concordia inest, ut in ceteris omnibus eiusdemmodi compositis; ex hac norma diale-

---

[1]) Stephanus Byz. v. *Ἀλθαία* scripsit: *εὕρομεν δὲ ἐν ταῖς συγγραφαῖς Δημητρίου Ἀλθαιέα.* Meinekius *συγγραφαῖς* explicat per *συνωνύμοις.* Licet liquido constaret hic Demetrium Magnetem laudari tamen Sthepanus Byz. non putandus est de pluribus Demetrii operibus loqui; videlicet in titulo *Ὁμώνυμοι* pluralis numerus inest; idcirco dixerit *ἐν ταῖς συγγραφαῖς*; haud aliter Athenaeus VI. p. 264, de uno opere locutus, scripsit: „*Φιλοκράτης δ᾽ ἐν δευτέρῳ Θετταλικῶν (εἰ γνήσια τὰ συγγράμματα).*"

ctici deduxerunt hoc: videlicet quum unum nomen generis omnibus speciebus commune est et omnes unius generis species eodem generali nomine gaudent, illas species vocaverunt ὁμωνύμους respectu generis. Contra Συνώνυμα eae res sunt, quarum nomina quidem sunt diversa, sensus vero est idem. Συνωνυμία igitur nititur διωνυμίᾳ et πολυωνυμίᾳ, ubi duo vel plura prorsus idem significent et valeant (Bekk. Anecd. II. 867 seq.); iamvero nunquam in una atque eadem lingua, res eadem sibi habet duo vel plura nomina, quae prorsus idem significabunt et valebunt; idcirco revera συνώνυμα dantur nulla; at finge data et Συνώνυμοι πόλεις erunt urbes, quae singulae bina vel plura nomina habuerint; de huiusmodi urbibus inquirere an unquam sibi Demetrius in animum induxerit nescio, hoc tantum scio et hoc docent fragmenta, eum collegisse et distinxisse eas urbes quae cognomines i. e. Ὁμώνυμοι erant. Discrimen inter συνώνυμα et ὁμώνυμα notarunt Dialectici et Aristoteles (cf. Gräfenhan Gesch. der Kl. Phil. I. p. 521 seq.) postea Grammatici vulgus hominum admonentes.

Iamdudum antequam scholia in Dionysii Thracis grammaticam (Bekk. An. l. l.) scripta sunt, confusio hic orta omnia pessumdedit et effecit ut scribae, quos in ὁμωνύμοις et συνωνύμοις etiam similis litterarum ductus transversos egit, genuinis et probis formis vitiosas et alienas supponerent. Talis vero ἀκυρολογία non in doctos homines nedum in Demetrium cadere potuit, apud Strabonem, multum in urbibus cognominibus laudandis, non facile invenies, licet codicibus pessime habitis utamur, haec confusa; at ne quis a Baylio pendens hunc ut philosophum respuat, Ptolemaeus ὁ θειότατος, Stephanus Byz. et Harpocration ubique adhibent probum vocabulum et apparet, ne sero Stephano quidem aut Eustathio adeo invitis, Demetrium opus suum donasse titulo ὁμώνυμοι ποιηταὶ συγγραφεῖς τε καὶ πόλεις [1]).

---

1) Demetrius solet laudari ἐν τοῖς Ὁμωνύμοις vel ἐν τοῖς περὶ τῶν Ὁμωνύμων cet. quorum illud propius ad verum titulum accedit, hoc scriptum est communi

Demetrio ὁμωνύμους urbes indaganti patebant et alii fontes et commentarii in antiquos poëtas, oratores et historicos conscripti. Multa grammatici conquisivere, quum saepe ambiguum esset quaenam urbs vel locus designaretur, iidem ob varias in quas abiere opiniones non sine cauta et prudenti ἐπικρίσει adhibendi erant. Nam ubi ὁμωνυμία ibi et ἀμφιβολία, hae δίδυμαι in vita quotidiana ioca et lepores ἐκ τῶν ὀνομάτων parere olim amabant [1]) et semper amant; has invocabant poëtae aut illi qui malebant μυθολογεῖν ἢ ἱστορεῖν, aut vates quibus locorum ὁμωνυμία quoque egregia auxilia praestitit quum ambiguitate se tueri et homines ludere studebant; hinc χρησμολόγοι canebant τὸ διατεθρυλημένον [2]):

ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο· Πύλος γέ μέν ἐστι καὶ ἄλλη.

Nomen illud Pylus iam olim multos exercuit quaerentes, quaenam ex tribus Nestoris patria esset habenda in Homero (Scholia Iliad. B. 491. Λ. 726), et passim ad eundem poëtam attigerunt in suis ὑπομνήμασι locorum nominumque ὁμωνυμίας. Fecere hoc Pergameni, fecit Aristarchus (Sch. Il. B 837, 839 N 643 E 576) eiusque aequalis Demetrius Scepsius, qui a Demetrio Magnete et postea a Strabone singularibus laudibus effertur et grande opus de navium catalogo condidit; ex hoc opere Apollodorus Atheniensis plurima in suos libros περὶ νεῶν καταλόγου transtulit et, ut ille, docuit quomodo ὁ ποιητής ipse homonyma distinguere soleret. Quae hi viri quorum vestigia in nostris scholiis ad Iliadem aliquatenus persequi possumus, (Strabo p. 339 Sch. Il. B 511) quaeque his anteriores conscripserunt, ea adhibere debuit Demetrius Magnes. Post eum Strabo maxime notavit locorum ὁμωνυμίας; hic superiorum labores

---

negligentia. Strabo eadem vitiosa περιφράσει usus affert Menecratem qui Κτίσεις scripserat, ἐν τοῖς περὶ κτίσεων (Strabo p. 621 c.). Tria alia exempla ex Athenaeo p. 481, 541, 687 petita protulit Mullerus Fr. H. II. 10. cf. II. 302 seq.

1) Aristot. Rhetor. III. 17. Quinctil. I. O. VIII. p. 647. B.

2) Cf. Strabo 339 C. Aristoph. Eq. 1051. ibique Scholia.

complexus et adaugens dedita opera cognomina referebat, quae saepissime media in narratione apud eum interposita apparent (Strabo 459, 647 in.). Strabo, totus in Homero versatus eos potissimum adiit qui hunc illustrarunt; ubi v. c. de variis septem Ephyris disputat (p. 338) in Homero constitit neque aliorum quam Demetrii Scepsii et Apollodori opiniones recenset. Quum ab altera parte Strabo inter arctiores fines se continuerit, ab altera satis haberet suam opinionem proferre, sequendo aut refellendo eos qui data opera de uno alterove loco disseruerant, neque indigeret opus universi argumenti quale Demetrii Magnetis erat, testem laudare; idcirco non adeo mirum videbitur si Demetrius, quem constat diu ante sua edidisse, quam Strabo geographica scripsit, ab hoc nusquam laudetur, nisi forte in Demetrio eiiusdemmodi quid hic obtinuerit ac in ipso Strabone, quem nemo ferme ante sequiores Graeculos laudat, multi tamen describunt.

Inter hos sequiores Stephanus Byz. ὁμώνυμα de industria apponens aliis praeter Demetrium et Strabonem usus est, et multo aequiore animo ferimus iacturam eius partis Demetriani operis quae de urbibus quam quae de viris homonymis erat. Quo melius autem ex superstitibus fragmentis Demetrium cognoscimus eo magis intelligimus, si integer liber superesset quam certus dux in historiae litterariae Graecae labyrintho nobis praesto fuisset. Valebat copia et vi dicendi, vel in his paucis fragmentis cernitur eius στρογγύλη λέξις, et insunt multa dicta, σαφῶς καὶ τορῶς enuntiata; et circumspecto iudicio praeditus illud opus, quo suum cuique tribuebat, condidit ut multifariae lectionis doctrinaeque fructus. In animo nobis est ad ipsas ὁμωνύμων series, ubi quidem utiliter fieri potest, ostendere ut adhibenda Demetrii adhuc neglecta auctoritate et opera, certam normam nanciscamur, qua duce, aliquot errores in historia litteraria commissi corrigi et errores esse demonstrari possint.

Nemo fuit qui Demetrio antiquior peculiare opus de scriptoribus homonymis scripsit, post eum idque dudum duo scriptores semel memorantur, in simili forte argumento versati, qui cum

eo nequaquam comparandi sed ex eo multa hausisse putandi sunt. Alterum Jonsius, alterum Baylius primus indicavit. Suidas v. Ἀπολλώνιος habet: Ἀπολλώνιος ἕτερος Τυανεύς, φιλόσοφος νεώτερος γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως ὡς Ἀγρέσφων ἐν τῷ περὶ ὁμωνύμων. Neque ipse Agresphon Hadriano iunior, neque nomen eius alibi occurrit; fieri quidem potest ut et ipse de solis scriptoribus egerit, attamen nulla necessitudo cum Agresphonte intercedit illis scriptorum catalogis ex Diogene Laërtio Demetrio Magneti redditis, nam praeterquam quod Agresphon Diogeni ignotus est, omnes scriptores, quos nostrae series continent, Demetrio Magnete antiquiores aut nonnisi fere aequales sunt. Neque nobis quidquam est cum obscuro Agresphonte obscuriore, anonymo, quem Gellius (XIV. 6.) suaviter ridet. Fecerat iste homo Graeculus Gellioque obtulerat librum, quo mera miracula scripta erant, quaenam illa fuerint et cur hic liber a Diogenis fonte alienissimus sit unicuique, Gellii festivum locum inspicienti, apparebit.

Ceterum ne hic quidem liber, nedum Demetrii opus, ad eos qui in Uranii aut Nonni biographia componenda desudabant, quasi ἑρμαῖον afferri potuisset a Simonide Stagirita; Simonides autem aequalis noster, non primus per ὁμώνυμα homines recentiore aetate lusit iisque verba dedit, etenim iam ante hos quadringentos fere annos, Annius Viterbiensis librum Xenophontis de Aequivocis finxerat aut ab aliis fictum acceperat, cui libro scilicet suum commentarium adiecit; sed bonum factum quod substiterit in aequivocis (ut barbaro hoc vocabulo utar) mythologicis, ut Saturnis, Coelis, Vestis, Iunonibus, Cadmis, Phonoreis, Proteis, Ninis, Ogygibus, insuper agens de aequivocis temporum inundationum, cet. [1]).

---

[1]) Libri titulus est: Berosi Sacerdotis Chaldaïci Antiquitatum Italiae ac totius orbis libri quinque, Commentariis Annii Viterbiensis, Theologiae professoris, illustrati, Antverpiae 1552. (Xenoph. p. 7—35) cf. Voss. H. Gr. p. 9. ibique Westerm. et *Biogr. Univers. Anc. et Mod.* Paris, Michaud frères 1811. II p. 223—226.

Quod ad vocabulum aequivoca, natum hoc est in medio aevo, et iis, qui Latine locuti sunt, ignotum. Habet lingua Latina suum sibi vocabulum, quod Graeco respondet, cognominis. Plinius, Graecos suos fontes vertens, pro *ὁμώνυμον*, eodem nomine quoque dixit. Quinctilianus (I. O. VII. p. 647 B. VIII. p. 674) interdum Graeco vocabulo utitur; his seriores dicebant univoca. (Priscian. de versibus Aen. 2, Diomed. 1. 2).

Restat una res inquirenda, quam etsi dirimere non possumus, tamen praeterire nefas, nimirum quo fere tempore Demetrius opus *περὶ ὁμωνύμων* ediderit. Scribit Cicero ad Atticum (Ep. ad Att. IV. 11). „Tu Lucceio nostrum librum dabis. Demetrii Magnetis tibi mitto, statim ut sit, qui a te mihi epistolam referat." Hic Demetrii liber quisquis fuerit, quem Cicero a. 55 a. C. Attico misit, longe diversus est a libro *περὶ ὁμονοίας*, quem Cicero anno 49 a. C. nondum viderat: nullum autem indicium in ipso Cicerone est, unde certo conficias eum ad eos libros, quos extremis vitae annis conscripsit, adhibuisse Demetrii *ὁμωνύμους*. Quum, ut hoc utar, Cicero de Epicuro a. 44 a. C. (de Nat. I. 26) scripsit: „Xenocratem audire potuit, et sunt qui putent audivisse; ipse non vult," quumque in Diogene Laërtio X. 13 legimus „*Δημήτριος δέ φησιν ὁ Μάγνης καὶ Ξενοκράτους αὐτὸν* (scil. Epicurum) *ἀκοῦσαι*," inde nemo sobrius deducet, verisimile, nedum certum, esse Ciceronem eiusmodi quid ex Demetrio demum didicisse; neque ab altera parte quum Cicero Aristoteles, aut Varro octogenarius, Archytas confundit (vide Aristotelum et Archytarum series), idcirco utrumque Demetrii opus ignorasse. Ipsi *ὁμωνύμων* catalogi considerandi, et videndum est tum quinam in iis novissimi appareant, tum quinam iam non in iis visantur. Inter novissimos autem, quibus locum dedit Demetrius, nemo est qui ultra Ciceronis mortem (a. 43 a C.) vixerit, sed in iisdem unus et alter est, qui Strabone nato adhuc superstes erat, ut Aeschines Milesius, Aristo Alexandrinus. Iam Strabo natus est 66—60 a. C. (Forbiger.

Handb. der alten Geogr. I. 302 seq. Clinton Fasti Hell. III. p. 555.); igitur Demetrius suum opus intra 60—55 ediderit et Cicero hunc librum, ut nuperrime editum, Attico miserit. Utque ita se rem habere credamus, ii faciunt, qui iam hic non visuntur; nempe in Heraclitis non inest Heraclitus Tyrius Academicus (Cic. Academ. II. 4.), aequalis et familiaris Antiochi philosophi, de quo Antiocho Strabo p. 759 dicit μικρὸν πρὸ ἡμῶν γεγονώς. (vide Clinton F H III. a. 87. et 79 a. C.). Heraclitus Tyrius, qui a Demetrio non receptus est, ultra Strabonis natalem diem aetatem suam produxerit et a. 45. (Clinton F H a. 45.) quum Cicero Academicas Quaestiones scribebat iam mortuus fuerit; idem Heraclitus nos docet Demetrium fuisse secutum morem Aristarchi et Aristophanis qui neminem sui temporis, i. e. neminem aequalem superstitem, in numerum redegerunt. (Quinctil I. O. X. 1. p. 893 Burm.) Confirmat hoc Aristonis Alexandrini (Strabo p. 790) discipulus et heres Aristo Cous (Strabo p. 658), qui Demetrii Ciceronis et Strabonis aetatem attigit, sed a Demetrio in Aristones non receptus est; confirmat etiam qui inter Platones non est recensitus Plato Sardianus Epicureus, de quo Cicero a° 59 a. C. ad Quintum fratrem (Ep. ad Qu. fr. I. 2. 4) scripsit, et Demetrius Laco, Ἐπικούρειος ἐπιφανής, (cf. Clinton F H III. p. 536) cui ne inter ἀξιολόγους quidem Demetrios locus negari potuisset.

Ergo quemadmodum constat hos viros a Demetrio fuisse omissos, eadem ratione his aequales, Archelaus Rhodius grammaticus sive ludimagister, Cassii olim magister et ad eum a° 42 a. C. Rhodiorum legatus, (cf. Appianus Bell. Civ. IV. 67—70. et Fischer Römische Zeittafeln a° 42. p. 333.), atque Zeno Laodicensis rhetor (Strabo 578, 660) a Demetrio praetermissi et ignorati sunt.

Hi omnes denique demonstrant, ut minimum nobis sumamus, certam rem esse, ante 30 a. C. τὴν περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείαν fuisse editam.

DEMETRII MAGNETIS FRAGMENTA.

ΟΜΩΝΥΜΟΙ ΠΟΙΗΤΑΙ ΣΥΓΓΡΑΦΕΙΣ ΤΕ ΚΑΙ ΠΟΛΕΙΣ.

A.

ΑΓΒΑΤΑΝΑ.

Stephanus Byz.: Ἀγβάτανα, πολίχνιον Συρίας, Ἡρόδοτος τρίτῳ. οἱ δὲ νῦν Βατανείαν αὐτὴν καλοῦσι. — Δημήτριος δέ φησιν Ἀγβάτανα διττά, τὰ μὲν τῆς Μηδίας τὰ δὲ τῆς Συρίας. Κτησίας δὲ πανταχοῦ τῶν Περσικῶν τὰ παρὰ Μήδοις Ἀγβάτανα διὰ τοῦ ᾱ γράφει. παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις διὰ τοῦ ε̄ τὸ Περσικόν, ὡς δειχθήσεται. παρὰ Χάρακι δὲ καὶ αὕτη διὰ τοῦ ε̄, ἣν καὶ Ἐπιφάνειάν φασι κεκλῆσθαι. cet.

Qui praeter Demetrium Magnetem in Stephani epitome ei ὁμώνυμοι scriptores interdum laudantur, his aliud nomen apponitur; noster nude ponitur. Steph. B. habet v. Ἐκβάτανα: Ἐκβάτανα ἡ μεγάλη μερὶς τῆς Μηδίας, ἔστι καὶ Συρίας. Vix dubium quin Holstenii lectionem a Meinekio laudatam, receptam oportuerit, legentis μητρόπολις pro μερίς. Ecbatana enim Mediae urbs non regio fuit, et Stephan. B. meminerit Strabonis, cuius verba sunt p. 522 c. ἡ δὲ Μηδία δίχα διῄρηται, καλοῦσι δὲ τὴν μὲν μεγάλην, ἧς μητρόπολις (Plinius N H. 6, 17 p. 370 Bip. Ecbatana caput Mediae) τὰ Ἐκβάτανα, μεγάλη πόλις, cet.

De utraque forma Ἀγβάτανα et Ἐκβάτανα deque vocabuli sensu multi egerunt; vide Steph. B. v. Ἀγβ. ed. Pinedo, Ernestum in Orell. Onom. Tull. v. Ecbat., Hesychius I. p. 1127 Ἐκβατάνων, Forbiger Handb. d. alten Geogr. II 590 seq.

Antiquior forma Ἀγβάτανα, Ionibus et hinc tragicis in usu, interdum loco mota est ab recentiore; quum in Ctesia et Herodoto (Herod. 3. 62. 64. Agb. in Syria, I. 98, Agb. in Media) Stephanus legerat Agbatana, hodie in excerptis Ctesiae ubique legi Ecbatana Meinekius monet; (vide C. Mullerum in fragmentis Ctesiae p. 25 ad calcem Herodoti ed. Didot.) item apud Herodotum nunc fluctuant Ἐκβάτανα et Ἀγβάτανα. Lectionem Ἀγβάτανα, quam in Herod. 1. 98. codex servavit, potiorem esse recte Forbigerus l. l. suspicatus est, idem tamen corrupto loco Isidori Characeni inductus est ut apud hunc τὴν Μηδίας μητρόπολιν dici Ἀποβάτανα crederet. Mullerus novissimus Isidori editor (Geogr. Min. I. p. 257. § 6. cf. Mull. prol. p. LXXXVIII et XCIV) contra Mannertum, qui formam Ἀγβάτανα iam ante reposuerat, quam Forbigerus sua scripsit, defendit lectionem Βάτανα, quippe qua seriore et truncata forma Isidorus Strabone posterior uti potuerit.

Unum idemque Syriae oppidulum, Ἀγβάτανα a Demetrio dictum, significatur ab Herodoto l. l., Plinio 5, 17 p. 329 Bip.

ΑΘΗΝΑΙ.

Stephanus Byz.: Ἀθῆναι, πόλεις κατὰ μὲν Ὧρον πέντε, κατὰ δὲ Φίλωνα ἕξ. ἡ ἐν Ἀττικῇ.—Δευτέρα πόλις Λακωνική, τρίτη Καρίας, τετάρτη Λιγυστίνων, πέμπτη Ἰταλίας, ἕκτη Εὐβοίας.—ἑβδόμη Ἀκαρνανίας, ὡς Δημήτριος, Ἀθηναίους ἐν τῇ Κουρῆτιδι κτίσαντας πόλιν Ἀθήνας προςαγορεῦσαι. τὴν γὰρ νῦν Ἀκαρνανίαν Κουρῆτιν ὠνόμαζον. ὀγδόη Βοιωτίας, ἡ ἐκ τῆς λίμνης ἀναφανεῖσα ὅτε Κράτης αὐτὴν διετάφρευσεν. ἐκλήθη δὲ ἡ πόλις, ὥς τινες μέν φασιν, Ἀθῆναι, ἄλλοι δὲ Ὀρχομενός, ὡς οἱ Βοιωτοί. ἔστι δὲ καὶ

ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ χωρίον Ἀθῆναι, ὡς Ἀρριανός. ἔστι καὶ ἱερὸν αὐτόθι Ἑλληνικόν.

Hic mutilus et male habitus locus novem Athenas praebet; quasnam ex his praeter Acarnaniae urbem in Demetrio recensitas viderit Stephanus Byz., nunc iam diiudicari nequit. Philon Byblius Stephano laudatus, cuius opus περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε vehementer desideramus saeculo primo post Chr. vixit; (cf. Muller F. H. Gr. III. 560 seqq.) Orus, grammaticus, Philone longe iunior fuit.

Romanus ille polyhistor Demetrio aequalis, Varro, novit tres tantum Athenas (Varro L. L. 8. 18), ne Straboni quidem plures memorantur. Hic de Acarnaniae κτίσει et de Curetibus locutus ab uno Ephoro pendet (Strabo p. 462 c. seqq.) et sicut ad Athenarum Euboïcarum κτίσιν testem laudat Ephorum, sic ex eodem, historiam coloniarum ab Athenis Atticis factarum exponente, Demetrius sua de Acarnaniae urbe hauserit. Verisimile est Demetrium praeter Atticas, nonnisi tres Athenas, Acarnaniae Euboeae et Boeotiae recensuisse. Ex reliquis quinque 3 sunt relinquendae Stephano, quippe qui varias formas confudisset, videlicet altera ἡ Λακωνικὴ urbs non Ἀθῆναι vocabatur sed Ἀθηναίων (Ptolem. 3. 16. 52); item quinta (Strabo p. 22, p 242 et 247, Ptolem. 3. 1. 8 cf. Steph. B. ed. Pinedo v. Ἀθῆναι, Livius 38. 1) et tertia (Strabo p. 640) non Ἀθῆναι verum Ἀθήναιον dicebantur. Arrianus quid dixerit de Athenis in Ponto Euxino vide in Geogr. Min. I. p. 372 § 5—8 cf. p. 411. § 39 seq. ibique Mullerum.

ΑΙΣΧΙΝΑΙ.

Diogenes Laërtius II. 64. Γεγόνασι δ' Αἰσχίναι ὀκτώ. πρῶτος αὐτὸς οὗτος (Socratis discipulus)· δεύτερος δ' ὁ τὰς τέχνας γεγραφὼς τὰς ῥητορικάς· τρίτος ὁ ῥήτωρ ὁ κατὰ Δημοσθένην. τέταρτος Ἀρκάς, μαθητὴς Ἰσοκράτους· πέμπτος ὁ Μυτιληναῖος,

ὃν καὶ ῥητορομάστιγα ἐκάλουν. ἕκτος Νεαπολίτης, φιλόσοφος Ἀκαδημαϊκός, Μελανθίου τοῦ Ῥοδίου μαθητὴς καὶ παιδικά· ἕβδομος Μιλήσιος, πολιτικὸς συγγραφεύς· ὄγδοος ἀνδριαντοποιός.

Hanc primam ὁμωνύμων scriptorum series, quam Demetrio Magneti restituimus, ceterasque si inter sese conferas, liquere poterit, an aliquis ordo in recensendis, eodem nomine scriptoribus, ei observatus fuerit. Primo obtutu nullus hic apparet et suspicari posses Demetrium alium alii supposuisse, prout inter legendum ei occurrerant, aut etsi vel Chrysipporum series demonstrat eum opus suum absolvisse, impeditum fuisse, nescio qua re, quominus singulos in singulis catalogis ordine disponeret. At longiores series, quales ubi Demetrii (20) Theodori (20) Heraclidae (14) Cratetes (10) Biones (10) insunt, ostendunt reliquaeque confirmant, eum deinceps φιλοσόφους, ῥήτορας, ceterosque συγγραφέας et ποιητὰς plerumque recensuisse, et in singula serie incepisse a notissimo et celeberrimo, unde series, a Diogene Laërtio servatae primo loco philosophos solent habere, et in Dinarchorum serie apud Dionysium Halic. primus visitur orator. Interdum ab hoc more ita deflectit, ut notiori antiquiorem anteponeret, neque tamen hoc egit, ut ordinem chronologicum religiose observaret, quod ex una Dinarchorum serie Vossium olim recte vidisse, hae in Diogene servatae confirmant. Verum haec ei regula satis constans fuit, ut eos uno tenore coniungeret, qui aliquid inter se commune habebant, ut studiorum genus, patriam vel familiam, et ideo facilius confundi et permisceri possent. Denique ultimo loco poëtam ponebat aut scriptorem de arte, aut iuniorem, aut antea sibi praetermissum. Et Diogenem Laërtium ordinem, quo in singula serie Demetrius scriptores recensuerat, non immutasse, verum interdum aliud agentem oscitanter secutum esse, hoc exemplum ostendit: Diogenes V. 69. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Λύκωνες· πρῶτος Πυθαγορικός· δεύτερος αὐτὸς οὗτος· τρίτος ἐπῶν ποιητής· τέταρτος ἐπιγραμμάτων ποιητής. Ridicule enim coniunguntur καὶ ἄλλοι ac

δεύτερος αὐτὸς οὗτός, et aut scribere *Γεγ. δὲ Λ. τέτταρες* debuisset aut omittere *δεύτερος αὐτὸς οὗτος*.

δεύτερος δ' ὁ τὰς τέχνας γεγραφὼς τὰς ῥητορικάς· Demetrius huic subiungit tres alios in eodem genere studiorum versatos, oratores, in quibus enumerandis quum temporum rationem habet, hic illis natu certe non minor fuerit et quum Dem. dicit *ὁ τὰς τ. γ.* opus satis nobile scripserit.

πέμπτος· ὁ Μυτιληναῖος ὃν καὶ ῥητορομάστιγα ἐκάλουν. Ultimum vocabulum demonstrat de mortuo hic sermonem esse. Alios *μάστιγας* affert Lehrs de Aristarchi studd. p. 210. Fuerit non ignotus et ipse rhetor, ut Agnon sive Agnonides, Theophrasti aequalis, qui rhetorices accusationem scripsit. cf. Ruhnken. H. Cr. Or. Gr. p. 373. ed. Bergm.

ἕκτος· Νεαπολίτης φιλόσοφος Ἀκαδημαϊκός, Μελανθίου τοῦ Ῥοδίου μαθητής. Melanthius Rhodius discipulus fuit Carneadis *τῆς νεωτέρας ἀκαδημείας* conditoris, et a Cicerone (Acad. IV. 6.) admodum floruisse magnaque fuisse suavitate dicitur. Melanthii discipulus et *παντάρκης καλός*, Aeschines Neapolitanus, natus fuit anno fere 150° a. C., audivit enim adolescens senem Carneadem, qui obiit a° 129 (cf. Clinton F. H. III. a° 129), neque tamen Aeschines inter ipsius Carneadis discipulos est habendus, ut male factum a Ionsio II. p. 130. et postea in Orellii Onom. p. 21. Meliora docent Demetrius et Plutarchus; sic enim loquitur Plutarchus in libro an seni sit g. r. p. c. 13: „*Ὁ μὲν οὖν Ἀκαδημαϊκὸς Αἰσχίνης σοφιστῶν τινῶν λεγόντων ὅτι προςποιεῖται γεγονέναι Καρνεάδου, μὴ γεγονὼς μαθητής· ἀλλὰ τότε γε(εἶπεν) ἐγὼ Καρνεάδου διήκουον ὅτε τὴν ῥαχίαν καὶ τὸν ψόφον ἀφεικὼς ὁ λόγος αὐτοῦ διὰ τὸ γῆρας εἰς τὸ χρήσιμον συνῆκτο καὶ κοινωνικόν.*" Aeschines magna floruit laude cum Charmada et Clitomacho, eumque Athenis audivit Romanorum sua aetate eloquentissimus L. Crassus, quaestor, a° fere 111° a. C. (Clinton F. H. a° 111 Cic. de Orat. I. 11).

ἕβδομος· Μιλήσιος πολιτικὸς συγγραφεύς. Locos ad hunc

virum facientes quum iam Menagius indicavit, eos hic repetere putidum esset, si modo Menagius plus quam indicis partes sibi tribuisset. Iam Aeschines Milesius unus ex novissimis scriptoribus est, quibus Demetrius in suis catalogis locum dedit; erat enim huic et Ciceroni aequalis. Ciceronis disertum testimonium in Bruto c. 95 confirmant M. Seneca (Controv. 1. 8. p. 128 et 131 Bip.) et Strabo p. 635. Ait Strabo: „Ἄνδρες δὲ ἄξιοι μνήμης ἐγένοντο ἐν τῇ Μιλήτῳ Θαλῆς — καθ' ἡμᾶς δὲ Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ."

Dudum constat Strabonem ante a. 60 a. C. fuisse natum, eumque ubi aliquem dicit καθ' ἡμᾶς γεγονέναι tantum significare, quum ipse in vivis esset, talem virum nondum ad plures abiisse: non vero cum Wyttenbachio, invita Graecitate, Strabonem putandum esse formulam καθ' ἡμᾶς de iis quoque adhibuisse, qui paululum suam aetatem praecessissent. (cf. Clinton F. H. III. p. 555. et Forbiger. Handb. I. p. 302 seq.). Igitur Aeschines Milesius circa a. 60. superstes fuit, eiusque vitae terminum aliquatenus definias ex Cicerone. Hic l. l. scripsit: „in quo (in altero Asiatico dicendi genere) fuit Aeschylus Cnidius et meus (Ciceronis) aequalis Milesius Aeschines. In iis erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat." Apparet Ciceronem de utroque mortuo loqui, et Milesium Aeschinem natum fuisse a° fere 106 a. C., obiisse intra a. 60 et a. 46, quo posteriore anno Brutum composuit Tullius. (Clinton F. H. a° 46. a. C.) Itaque duplici errore tenetur Westermannus Gesch. der Bereds. I. § 81, tum quod Aeschinem Milesium non Ciceroni aequalem, sed hoc una aetate maiorem facit, putans eum circa a. 140 a. C. natum fuisse, tum quod eius aetatem ad a. 30 a. C. producit. — Aeschines Milesius dicitur a Seneca patre fuisse unus „ex bonis declamatoribus", quibus Seneca significat idem ac Strabo ῥήτορα eum vocans; optime eum describit Demetrius duobus verbis πολιτικὸς συγγραφεύς; in republica versatus fuerit Aeschines, qui

nimia in dicendo libertate ad Pompeium usus et ab hoc in exsilium missus, ad mortem usque patria caruisse videtur. (cf. Strabo. l. l.) Exsul scripserit ut multi alii fecere, idque de suis temporibus; ad Demetrii verba *πολιτικὸς συγγραφεὺς* illustranda egregie facit Polybius XVI, 14. 3 de Zenone et Antisthene Rhodiis disputans.

Ceterum quicunque has a Diogene Laërtio servatas *ὁμωνύμων* series ut Demetrii Magnetis reliquias accipit, eum non a Simonide decipi aut nubem pro Iunone amplecti, vel Aeschinum series documento esse potest, quippe in qua non est Demetrio iunior Aeschines Atheniensis medicus, quem Plinius demum novit testemque laudat libro 1° Natur. Hist. in indice auctorum libri 28ⁱ et in ipso libro 28° p. 361 Bip.

AKTAI.

Stephan. Byz.: *Ἀκτή, Δημήτριος δὲ τῆς σημαντικῆς τοῦ αἰγιαλοῦ καὶ τῆς περὶ τὸν Ἄθω χώρας μόνον ἐμνημόνευσεν.*

Meinekius adnotat ad *Δημήτριος*: „credo in libro de synonymis". Immo de hononymis.

Ex innumeris Maris Interni *ἀκταῖς* aliae *ἀνώνυμοι* erant, aliae cognomen habebant; *Λευκῆς ἀκτῆς* Demetrius meminerat sub lemmate *Λευκαί.*

Quid significent *τῆς σημαντικῆς τοῦ αἰγιαλοῦ* aut quid in iis lateat, me adhuc latet; non videtur legendum *τοῦ Αἰγιαλοῦ*, posses suspicari *τῆς Σηπιάδος* (CHΠIAΔOC pro AIΓIAΛOT) aut *τῆς Ἀργολίδος.*

Quantum different *ἀκτή* et *αἰγιαλός* vide apud Pausan. 2. 34. 9. Schol. Soph. Ai. 414 (Anecd. Bekk. p. 1313). adde Helladium in Photii Bibl. p. 534 B. et de Actis, apud Herodotum, Forbig. Handb. I. 80.

ΑΛΑΒΩΝΕΣ.

Stephan. Byz.: *Ἀλαβών, πόλις [Σικελίας] καὶ ποταμός, ὡς Δημήτριος ἐν Ὁμωνύμοις.*

Pro vulgari *συνώνυμοι* genuinum rescripsi. Berkelium recte vocabulum *Σικελίας* supplevisse confirmabit optimus hic testis, Philippus Cluverius, quem Niebuhrius loco non uno eximie laudat, in Sicilia Antiqua p. 133 seq. cf. Sikler in Encycl. Ersch. u. Gruber v. *Ἀλαβών*.

ΑΛΑΙ.

Photius, Lex. v. Κύνειος, *Ἀπόλλων Ἀθήνησιν οὕτως λεγόμενος — Κράτης ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν οὕτω γράφει· τὸ δὲ Κυνήειόν ἐστιν Ἀπόλλωνος ἱερόν· Κυννείου τὸ ἐκ τοῦ θυννείου γενόμενον. τοῦτο δέ ἐστι τὸ θυννεῖον Ἁλῆσι. καὶ γίνεται πρόςοδος μεγάλη· ταύτην ἡ πόλις εἰς θυσίαν καταχωρίζει τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Κυνηείῳ· Ἁλησίου Δημήτριος ὁ βασιλεύς.*

De forma Κύνειος confer Ruhnken. ad Hesych. II. p. 380. Muller. F. H. Gr. IV. 499. — Kusterus ad Suidam v. Κυνήειος, ubi eadem aeque corrupta leguntur, dixerat sibi non liquere quid significarent aut qui cum praecedentibus cohaererent verba *Ἁλησίου Δημήτριος ὁ βασιλεύς*. Postea eundem locum Hemsterhusius frustra explicavit, donec Dobraeus, litterarum vestigia secutus, repperit *Ἁλῆσι· οὕτως Δημήτριος ὁ Μάγνης*. (Phot. ed. Dobr. in Indice Auctorum p. 852.) Hanc palmariam suam emendationem ille iam antea fecerat, quam mortuo Porsono Photium ederet, ut ex Adversariis (I. p. 597.) apparet, et docuerat corruptelam esse ortam ex compendio scripturae, quum nominis *μάγνης* tres priores litterae tantum scriberentur. *Ἁλησίου* depravatum esse ex *Ἁλῆσι οὕτως* nemo dubitabit; notum est *ου* (*οὐ*, *οὖ*) saepe scriptum esse pro *οὕτως* et exemplis confirmat Bastius, Com. Pal. p. 828. Ceterum erant *Ἁλαὶ ὁμώνυμοι*: duo Attici demi, unus *Ἁλαὶ Αἰξωνίδες*, alter *Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες*; praeterea Stephanus B. v. *Ἁλαὶ* tria alia oppida cognomina novit. Quid horum a Demetrio sumserit, iam indicari nequit, de Boeotiae urbe testem laudat Pausaniam, de de-

mis Atticis ei ad manum erant alii scriptores Demetrio aut antiquiores aut iuniores.

(ΑΛΘΑΙΑ)

Stephan. Byz.: Ἀλθαία, πόλις Ὀλκάδων· οἱ δὲ Ὀλκάδες ἔθνος Ἰβηρίας, πλησιόχωροι Καρχηδόνος, ἣν ἐκάλουν καὶ καινὴν πόλιν. τὸ ἐθνικὸν Ἀλθαῖος, ὡς Αἰαῖος, ἢ Ἀλθαιάτης ἢ Ἀλθαιανός. εὕρομεν δὲ ἐν ταῖς συγγραφαῖς Δημητρίου Ἀλθαιέα.

Verba ἐν ταῖς συγγραφαῖς supra, p. 14, attigimus. Quum Meinekius ea explicat in Indice Auctt. Steph. Byz. per ἐν τοῖς συνωνύμοις denuo substituere liceret ἐν τοῖς ὁμωνύμοις, si modo constaret, ut vulgo putatur, hic Demetrium Magnetem laudari. Licet enim Ἀλθαία nomen optime Graecum esse, Meleagri mater et herba, Latine malva dicta, demonstrent, licetque Stephanus urbis nomen legisse potuerit apud Demetrium, ubi hic v. c. de aliquo scriptore agebat, quod ne in mediterraneae Hispaniae urbe quidem mirum esset, (Polyb. 3. 13. 5) tamen incerta potius haec relinquenda, quum nullum Althaeae ὁμώνυμον aut a Stephano affertur aut alibi occurrit.

ΑΝΑΞΑΓΟΡΑΙ.

1. Anaxagoras Clazomenius.

Diogenes L. II. 15. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Ἀναξαγόραι, ὧν ἐν οὐδενὶ πάντα· ἀλλ' ὁ μὲν ἦν ῥήτωρ Ἰσοκράτειος· ὁ δ' ἀνδριαντοποιός, οὗ μέμνηται Ἀντίγονος· ἄλλος γραμματικὸς Ζηνοδότειος.

ῥήτωρ Ἰσοκράτειος. Ex ultimo vocabulo videmus cuiusnam disciplina usus fuerit et quanam aetate vixerit hic Anaxagoras, quum de eo et de duobus reliquis Demetrius ait, ἐν οὐδενὶ πάντα fuisse, non per eum factum erit, ut ex Isocratis schola quasi ex equo Troiano meri principes profecti sint. Ad eundem Ebertus Diss. Sicul. I. p. 101 post Menagium recte contra Fabricium et

Meursium retulit locum Aeliani V. H. 4. 14 ubi laudatur Anaxagorae liber περὶ βασιλείας, ad exemplum Isocratis, in eodem argumento versati, conscriptus; item ad Aristotelis, peripateticos simili materiae operam dedisse ostendit Luzacius Lect. Att. p. 140.

ἀνδριαντοποιός, οὗ μέμνηται Ἀντίγονος. Quum Paulii Thesaurus v. Anaxag. nihil nisi Pausaniae locum (V. 23. 1) a Menagio laudatum praebet et ne Eberto quidem de statuario constat, meliora et uberiora disces ex Silligio in Catal. Artif. p. 42, qui sua diu ante Paulianum Thesaurum conditum edidit.

Silligius, dum ut ceteri omnes, ignorabat, Demetrii Magnetis hos esse ὁμωνύμων catalogos, recte dixit se haud dubitare quin ἀνδριαντοποιός a Diogene memoratus idem fuerit, atque antiquus Aegineta, τοῖς Μαραθωνομάχοις aequalis.

Antigonum statuarium pictoremque ac Polemonem τὸν στηλοκόπαν potissimum adiit Demetrius, antiquiores artifices investigans. „Per hos enim," inquit Prellerus (Mull. F. H. Gr. III. 132) cuius suspicioni ex Demetrio haud parvum momentum accedit, „per hos enim inchoatum est antiquarium illud scribendi genus, quo tabularum per templa, porticus, pinacothecas dispersarum argumenta describebantur." Quod de Polemone et Antigono confirmat Diogenes L. VII. 188. Antigonus ex numero fuit illorum artificum, qui volumina de sua arte condiderunt (Plin. N. H. 34. 8.), et hic numerus quum magnus fuit, idcirco multi ζωγράφοι, ἀνδριαντοποιοί et ἀγαλματοποιοί a Demetrio inter ὁμωνύμους relati sunt. Plurimos scriptores de arte collegit Graefenhan. II. p. 208 seqq., recte dicens, tantum non omnes artifices ut humanitate praeditos, ad scribendum animum appulisse; quod in feracissimis Graecis certe mirum non erat.

Silligius C. A. p. 53 ex Plinio l. l. confecit Antigonum circa 239 a. C. floruisse, quod recte procedit; nam ei aequales fuerunt, Polemo et Adaeus Mytilenaeus; horum Adaeus a Vossio H. Gr. p. 377 West. minus recte inter scriptores incognitae aetatis reiectus est: Athenaeus p. 606 C. affert Adaeum ἐν τῷ περὶ

ἀγαλματοποιῶν, et saepe laudat Polemonem *ἐν τοῖς πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον*, a quo libro non diversus fuerit, ut opinor, Polemonis *τὰ πρὸς Ἀντίγονον περὶ ζωγράφων*, unico loco ab Athenaeo p. 474 laudata. (confer Clinton F. H. III. p. 524 seq. de Polemone et Adaeo N°. 119. et 120.) Antigonum et arti statuariae et picturae, multorum aliorum instar, operam dedisse Plinius l. l. et Diogenes l. l. ostendunt. Patria eius ignoratur; prudentius quam Gräfenhan, Mullerus F. H. Gr. III. 132. IV. 306. ab eo segregavit Antigonum, quem *ἐν Μακεδονικῇ περιηγήσει* laudat Stephanus Byz. v. *Ἀβαντίς*.

ΑΝΑΞΙΜΑΝΔΡΟΙ.

1. Anaximander Milesius, Thaletis auditor.

Diogenes L. II. 2. *Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Ἀναξίμανδρος ἱστορικός, καὶ αὐτὸς Μιλήσιος, τῇ Ἰάδι γεγραφώς.* Vixit tempore Artaxerxis Mnemonis et Xenophontis. vide Vossium H. Gr. p. 373. Muller F. H. Gr. II. 67. Vossius in eo erravit quod crederet Strabonem p. 1. et p. 7 C. Anaximandrum iuniorem significare, quod secus esse ipse Strabo p. 7. demonstrat dicens: „*Ἀναξίμανδρόν τε Θαλοῦ γεγονότα γνώριμον καὶ πολίτην.*"

ΑΝΑΞΙΜΕΝΕΙΣ.

1. Anaximenes Milesius, Anaximandri auditor.

Diogenes L. II. 3. *Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι δύο, Λαμψακηνοί, ῥήτωρ καὶ ἱστορικός, ὃς ἀδελφῆς υἱὸς ἦν τοῦ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις γεγραφότος.*

Praeter hos Anaximenes, aliunde satis notos, apud Lucianum in Herod. c. 4. inter antiquos historicos et sophistas, qui Herodoti more, publice opera sua recitassent, Hippiam Eleum, Prodicum Ceum, et Polum Agrigentinum, occurrit Anaximenes Chius. Dudum, absque Demetrio Magnete, viderunt hunc homi-

nem nunquam fuisse et speciosa coniectura in Luciano pro *Ἀναξιμένης ὁ Χῖος* Mullerus F. H. Gr. II. 43 reposuit *Ξενομήδης ὁ Χῖος*; neque tamen contemnendi ii, qui putarunt apud Lucianum esse corrigendum *Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνός*, nam Mulleri opinioni non adeo favet Dionysius Halic. de Thucyd. Iud. c. 5.

ΑΝΤΙΣΘΕΝΕΙΣ.

1. Antisthenes Cynicus.

Diogenes L. VI. 19. *Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Ἀντισθένεις τρεῖς, Ἡρακλείτειος εἷς, ἕτερος Ἐφέσιος, καὶ Ῥόδιός τις ἱστορικός.*

Ἡρακλείτειος εἷς. Ut Heraclitus aequalibus suis *ὁ σκοτεινός* fuit, sic Antisthenes *ὁ Ἡρακλείτειος* nobis obscurissimus est. Fabricius B. Gr. I. 800 ed. 1ae, hunc, non Antisthenem Cynicum, habet auctorem commentarii ad Heracliti opus *περὶ φύσεως* (Diog. IX. 15.); certe Antisthenes is Heraclidi Pontico, Cleanthi Sphaeroque, quos, Heracliti opus commentatos, ordine chronologico recensuit Diogenes, antepositus, eosdem et aetate antecesserit; attamen ipse Cynicus iisdem natu maior fuit, et nude nomen Antisthenis in Diogene hic legitur, nulla secta aut patria addita, et minus mirandum, Diogenem inter Antisthenis Cynici opera illum ad Heraclitum commentarium non recensuisse, quam de parum cognito Heracliteo locutum, nullum indicium, addidisse, quo a Socratico vel ab scriptore *τῶν διαδοχῶν* distingueretur.

Antisthenes ille *ὁ τὰς τῶν φιλοσόφων διαδοχὰς γράψας*, fuerit Peripateticus nec ne, (cf. Mull. F. H. Gr. III. 183) Antisthene Cynico multo iunior fuit, ut fragmenta ab uno Diogene L. servata ostendunt, recteque eum ab Antisthene Rhodio *ἱστορικῷ* et *πολιτικῷ συγγραφεῖ* secrevit Mullerus. Antisthenis libro *περὶ διαδοχῶν* usus esse videtur Demetrius (Diog. IX. 35) eumque per *τὸν Ἐφέσιον* significasse; quominus eum habeamus Ephesium civemque Heracliti philosophi, Epheso oriundi, (Diog. L.

IX. I.) non impediunt haec Diogenis verba in Heracliti vita (Diog. IX. 6.) „*σημεῖον δ' αὐτοῦ* (Heracliti) *τῆς μεγαλοφροσύνης Ἀντισθένης φησὶν ἐν διαδοχαῖς· ἐκχωρῆσαι γὰρ τἀδελφῷ τῆς βασιλείας.*"

Ῥόδιός τις ἱστορικός. Vixit hic eadem aetate qua Zeno Rhodius, Polybii aequalis (Polyb. XVI. 14. 7) et familiaris. Ut Zeno Antisthenes Rhodius in republica versatus fuit, ut ille de patria deque suis temporibus scripsit (Clinton F. H. III a. 197 a. C.). Hos etsi memoratu dignos habebat Polybius, quum non lucri sed laudis gratia et ut decuit viros in republica versatos, res sua memoria gestas conscripsissent, tamen nimio patriae amore abrepti commiserunt et alia, et ubi Rhodii victi erant, ibi eos vicisse tradiderunt, quo de errore ipse Polybius Zenonem edocuit, edoctumque confitentem reum habuit. Polybium, fidum sane ducem, secutus Demetrius Antisthenem *Ῥόδιόν τινα ἱστορικόν* dixit, neque magni eum fecit.

ΑΠΙΔΑΝΟΙ.

Stephanus B. *Ἀπία, οὕτως οἱ νεώτεροι τὸ Ἄργος καὶ τοὺς κατοικοῦντας Ἀπιδόνας. — Τὸ ἐθνικὸν Ἀπιεὺς δηλῶν τὸν Πελοποννήσιον καὶ Ἀπίηθεν τὸ ἐκ τόπου καὶ Ἀπιδόνες καὶ Ἀπιδονῆες, Ἀπιδόνες δὲ καὶ οἱ Ἀρκάδες ἀπὸ Ἀπιδόνος ποταμοῦ ἢ τοῦ υἱοῦ Φορωνέως Ἄπιδος. Δημήτριος δὲ καὶ ποταμὸν Ἀπιδανὸν τῆς Τρωάδος φησίν „ἐκβάλλων εἰς τὴν ἑσπέριον θάλασσαν" ὡς Τιμοσθένης. Φησὶ δὲ καὶ τὰς ἀχράδας τὰς ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ γινομένας Ἴστρος ἀπίους ἀπὸ ταύτης ὑπὸ τῶν ἔξωθεν λεχθῆναι, λέγεται καὶ Ἀπὶς θηλυκόν, ἧς ἡ γενικὴ Ἀπίδος. οὕτω τὴν χώραν Ἐρατοσθένης ἐν Ἑρμῇ προςαγορεύει.*

Excerpta quantum distent ab integro loco et cur illa lucem obducant dum hic affert, hoc loco apparet: quinam illi *νεώτεροι* sunt ex Strabone demum quem Stephanus exscripsit, liquebit: Strabonis de Argo locuti integra verba sunt p. 371: *οὕτω δὲ*

καὶ Ἰασίδας καὶ Ἴασον Ἄργος καὶ Ἀπίαν καὶ Ἀπιδόνας οἱ νεώτεροί φασιν· Ὅμηρος δ' Ἀπιδόνας μὲν οὐ λέγει, ἀπίαν (l. Ἀπίαν cf. Niebuhr Vortr. u. a. L. u. V. p. 27, Encycl. Ersch. u. Grub. XV. p. 270 n. 3) τὴν πόρρω μᾶλλον.

Ceterum cum Ἀπία, mythologico nomine Argi et hinc Peloponnesi (Plin. IV. 5. 262 B.) nihil nobis est, etiamsi constaret ὁμώνυμον habere; vagat in Mysia Ἀπίας πεδίον sive Ἀπία (ut Θήβη et Θήβης πεδίον Strabo p. 588); quod a Forbigero II. p. 111. minus recte in orientali Mysia poni et potius in media regione ad Temnum montem (cf. Paulii Thes. I. p. 640) fuisse Strabo p. 616 arguit; ut situs, sic scriptura ambigua; Cicero in duabus epistolis, ad Appium Pulchrum Imperatorem datas, (Ep. ad Div. III. 7 et 9) significat se cum legatis Appianis, non vero Apianis egisse. Postea Plinius quoque N. H. V. p. 338 Bip. Appianos inter non ignobiles Mysiae populos recensuit. Ad Demetrium quidem ea tantum pertinent, quae Stephanus habet de Apidano flumine. Iam vero haec nihil commune habent cum verbis de Ἀπίᾳ, quibus quod nunc interposita legantur, non Stephano aut epitomatori, sed librariis tribuendum videtur. Qui ita factum sit, minus obscurum erit, si tenebis, in verbis ἀπὸ Ἀπιδόνος ποταμοῦ ἢ τοῦ υἱοῦ Φορωνέως Ἄπιδος Δημήτριος, vocabulum Ἄπιδος ab Holstenio restitutum esse pro vitiosa librorum scriptura Ἀπιδόνος. Quum autem Ἀπιδόνος et Ἀπιδανός parum inter se differunt, lemma olim et quaedam, ad ὡς Τιμοσθένης usque, exciderint, posteaque in margine pro parte adscripta, in alienum locum delata fuerint; quapropter in hunc fere modum haec supplenda videntur: Τὸ ἐθνικὸν Ἀπιεὺς δηλῶν τὸν Πελοποννήσιον. καὶ Ἀπίηθεν τὸ ἐκ τόπου καὶ Ἀπιδόνες καὶ Ἀπιδονῆες. Ἀπιδόνες δὲ καὶ οἱ Ἀρκάδες ἀπὸ Ἀπιδόνος ποταμοῦ, ἢ τοῦ υἱοῦ Φορωνέως Ἄπιδος. Φησὶ δὲ καὶ τὰς ἀχράδας τὰς ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ (i. e. in Peloponneso, hucusque ad τῆς Τρῳάδος pertinebat) γινομένας — προςαγορεύει.

[Ἀπιδανός, ποταμὸς Θεσσαλίας.] Δημήτριος δὲ καὶ [ἄλλον]

ποταμὸν Ἀπιδανὸν *τῆς* Τρωάδος *φησὶν* „*ἐκβάλλων εἰς τὴν ἑσπέριον θάλασσαν*" *ὡς* Τιμοσθένης.

Apidanum fuisse Thessaliae flumen, ut nos sic Stephanum Strabo p. 432 et 356 docuerit.

ΑΡΙΣΤΙΠΠΟΙ.

Diogenes L. II. 83. *Γεγόνασι δ'* Ἀρίστιπποι *τέσσαρες· περὶ οὗ τε ὁ λόγος καὶ δεύτερος ὁ τὰ περὶ* Ἀρκαδίας *γεγραφώς· τρίτος ὁ μητροδίδακτος, θυγατριδοῦς τοῦ πρώτου· τέταρτος ὁ ἐκ τῆς νεωτέρας* Ἀκαδημείας.

ὁ τὰ περὶ Ἀρκαδίας *γεγραφώς*. Hunc Vossius H. Gr. p. 402 W. et Mullerus F. H. Gr. IV. 327. inter historicos incertae aetatis retulerunt. Ex fragmentis a Mullero collectis palam fit, eum, qui forsitan Aristippi Cyrenaei nepotem, *τὸν μητρόδιδακτον*, aetate antecesserit, tempora antiquissima de Arcadia in suo opere tractasse, quod opus *κτίσεων* et *Ὥρων* instar conscriptum et non ignobile fuisse videtur.

Error quidam et confusio ex festinatione nata hic corrigenda; nempe Gräfenhan. Gesch. d. Kl. Phil. II. p. 205 n. 23. ex *ὁμωνύμων* catalogo, in Diog. L. II. 104. servato, affert Aristippum Byzantinum rhetorem, ab Aristotele laudatum: ergo hic Demetrio Magneti memorandus fuisset? Salva res est: Diogenes L. in priore parte capitis octavi libri secundi, Aristippi, in posteriore, Theodori vitam narraverat; in medio capite Aristippo cognomines, in extremo Theodoro cognomines ex Demetrio recensuit, quae praetervidens Gräfenhanius, se Aristipporum catalogum ante oculos habere credebat, quum revera in Theodororum versebatur, et ut Aristippum Byzantinum rhetorem dedit, qui fuit Theodorus. De Gräfenhanio ut lenius iudicemus, facit Mullerus, qui omnibus reliquis melius de Demetrio postea indicans, erroris eiusdem socius est; scripsit enim F. H. Gr. III. 316: „Diog. L. II. 104. varios Aristippos recensens:

Τεσσαρεσκαιδέκατος Ἐφέσιος ζωγράφος" cet., et scriptum oportuit: „varios Theodoros recensens".

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙΣ.

Diogenes L. V. 35. Γεγόνασι δὲ Ἀριστοτέλεις ὀκτώ· πρῶτος αὐτὸς οὗτος· δεύτερος ὁ πολιτευσάμενος Ἀθήνησιν, οὗ καὶ δικανικοὶ φέρονται λόγοι χαρίεντες· τρίτος περὶ Ἰλιάδος πεπραγματευμένος· τέταρτος Σικελιώτης ῥήτωρ, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους Πανηγυρικὸν ἀντιγεγραφώς· πέμπτος ὁ ἐπικληθεὶς Μῦθος, Αἰσχίνου τοῦ Σωκρατικοῦ γνώριμος· ἕκτος Κυρηναῖος, γεγραφὼς περὶ ποιητικῆς· ἕβδομος παιδοτρίβης, οὗ μέμνηται Ἀριστόξενος ἐν τῷ Πλάτωνος βίῳ· ὄγδοος, γραμματικὸς ἄσημος, οὗ φέρεται τέχνη περὶ πλεονασμοῦ.

πρῶτος αὐτὸς οὗτος· Diogenes L. V. 3. Ἔπειτα μέντοι ἀπῆρε πρὸς Ἑρμείαν τὸν εὐνοῦχον, Ἀταρνέως ὄντα τύραννον· ὃν οἱ μὲν φασι παιδικὰ γενέσθαι αὐτοῦ· οἱ δὲ καὶ κηδεῦσαι αὐτῷ δόντα τὴν θυγατέρα ἢ ἀδελφιδῆν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων· ὃς καὶ δοῦλον Εὐβούλου φησὶ γενέσθαι τὸν Ἑρμείαν, γένει Βιθυνὸν ὄντα καὶ τὸν δεσπότην ἀνελόντα.

Quicunque philosophorum vitas, ut a Diogene Laërtio narrentur, non omnino ignorat, is vel inde novit quantas tenebras calumniae cupiditatesque obduxerint. Diogenem si audias, Aristippus Cyrenaeus (Diog. L. V. 3) auctor fuerit ἐν τῷ περὶ παλαιᾶς τρυφῆς, Aristotelem Hermiae concubinam deperisse; verum argumentis ponderis haud parvi dubitatum est, an Aristippus istum librum aut omnino quidquam scripti reliquerit (Diog. L. II. 84.), aut ab illius persona talia maledicta proficisci potuissent (cf. Mull. F. H. Gr. II. 79). Neque omnes consentiunt, Aristoxenum turpia de Aristotele dixisse (cf. Suidas v. v. Ἀριστόξενος, Ἀριστοτέλης ibique Bernhardium et locum Aristoclis ex Eusebio P. E. XV. 2. apud Muller. F. H. Gr. II. 282). Theocri-

tus Chius, sophista, animo adeo infesto erat in Aristotelem, ut illa de Hermia commemorans, inque verbis ludens, Stagiriten diceret κενόφρονα, in epigrammate a Diogene V. 11, et plenius ab aliis, quos vide apud Muller. F. H. Gr. II. 86, servato. Contra Hermippus peripateticus, qui, ut multi alii, de Aristotelis vita scripsit, eum defenderit et Demetrio ad manum fuerit. Strabo p. 610 testem nullum laudans, de Hermia pleniora habet, quam quae in Diogene ex Demetrio, quocum ceteroquin consentit, afferuntur; ceterum erat haec una ex illis historiolis, quas vel mediocriter docti non ignorabant. Quando Aristoteles ad Hermian profectus fuerit, de hac tantum re, certum nobis testimonium superest: Diogenes enim, quum dicit ἔπειτα μέντοι ἀπῆρε πρὸς Ἑρμείαν Ἀταρνέως ὄντα τύραννον, Apollodorum Atheniensem excerpsit, additque in sequentibus (V. 9.) φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς εἴς τε Μυτιλήνην ἐλθεῖν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ὀγδοῆς καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, Πλάτωνος δὲ τελευτήσαντος τῷ πρώτῳ ἔτει (Ol. 108. 1. = 34$\frac{8}{7}$) cf. Clinton. F. H. a. 347) πρὸς Ἑρμείαν ἀπᾶραι καὶ μεῖναι ἔτη τρία. Eundem Apollodorum tacite hic secutus est Dionysius Hal. de Demosthene et Aristotele c. 5. De Aristotele et Hermia vide et C. Zell. in Thes. Pauliano I. 780 seqq.

δεύτερος ὁ πολιτευσάμενος Ἀθήνησιν, cet. Egregie Groen van Prinsterer, vir nobilissimus, in Prosopogr. Platon. p. 140 vidit, hunc esse eundem atque „ingeniosum et acutum" interlocutorem in Platonis Parmenide, unum ex triginta tyrannis.

Σικελιώτης ῥήτωρ. Auctore Menagio Ionsius observavit in Disputatione de Philosophia Peripatetica, quo libro non usus sum, Aristotelem Siculum a Cicerone aliisque cum Stagirita confundi: id optime perspexisse Ionsium liquebit vel ex Cicerone de Or. III. 35. Orat. 19.

γραμματικὸς ἄσημος. Nulla dubitatio, quin hic idem fuerit ac Grammaticus a Varrone L. L. IX. 2. inter eos laudatus, qui de verborum similitudinibus scripserunt.

Quod ad reliquos Aristoteles, Stagiritae, dei mortalis, gloria ceterorum famam adeo obscuravit, ut vix aliquid hic discerni et constitui possit. Inter scriptores recentiores qui hoc egerunt, solus, quod sciam, Ionsius I. p. 70 seqq. ὁμωνύμους Aristoteles collegit. Ex quibus omnibus hi tantum forte huc facere possunt: Aristoteles, qui θαυμάσια ἀκούσματα scripsit (cf. Voss. H. Gr. p. 71 W., Ions. II. 209, Westerm. Paradoxogr. p. xxv seq.). Aristoteles (?) dialecticus Sicyonius, natu maior Arato Sicyonio; Aratus quum natus est 271 a. C. (Clinton. F. H. III. a. 251.) dialecticus circa a. 300 iam in vivis esse debuit. Ἀριστοτέλης ὁ Χαλκιδεὺς ἐν τῷ περὶ Εὐβοίας occurrit apud Harpocrationem v. Ἄργουρα, et in Schol. Apoll. Rhod. I. 558. (cf. Mull. F. H. Gr. II. 142.). Aristoteles Rhodius, qui de Panathenaeis et Bendideis scripsit (cf. Proclum in Plat. Timaeum p. 27 a.).

πέμπτος, ὁ ἐπικληθεὶς Μῦθος. Hanc ipsam ὁμωνύμων seriem Diogenes L. tacite exscribens in vita Aeschinis (II. 63) dixit: γνώριμος δ' αὐτοῦ φέρεται εἷς, Ἀριστοτέλης ὁ Μῦθος ἐπικληθείς.

ἕκτος Κυρηναῖος γεγραφὼς περὶ ποιητικῆς. Fabricius B. Gr. II. 817. ed. 1ae haec verba afferens ait, Aristotelem fuisse philosophum Cyrenaïcum, qui de poetica scripsit. Sed eum e Cyrenaïcis fuisse tum demum ex Demetrii verbis effici posset, si scriptum fuisset Κυρηναϊκός. Fabricio laudandus fuisset Diogenes L. II. 113, ubi Stilpo Megaricus Clitarchum et Dineam ab Aristotele Cyrenaïco avulsisse dicitur; praeterea ad Aristotelem Cyrenaïcum trahunt Aelianum V. H. X. 8. et Stobaeum Serm. 63, 32. Hi loci vetant, quominus negemus fuisse Aristotelem, Cyrene oriundum, qui philosophiam attigerit. Iam hic fuit aequalis Stilponi et Theophrasto, atque, ut Ionsius p. 71 observavit, per temporum rationem ad eum licet referre historiolam de Laïde, quam Clemens Alex. Strom. III. 6. 51. ex Istro ἐν τῷ περὶ ἰδιότητος ἄθλων desumsit. Quum Aelianus V. H. 8, 2. eadem narrans, pro Aristotele habet Εὐβάταν, non temere negligendum est Istri testimonium, nam praeterquam quod Aelianus

ex eodem fonte, forte ex eodem Istro, hauriens haec turbata tradidit, Ister et ipse Cyrenaeus fuit, ac duobus saeculis a. Chr. scripsit. Hic autem quum Aristotelem eiusque ἀνταγωνιστὰς in libro περὶ ἰδιότητος ἄθλων memoravisset, possis suspicari Aristotelem, formosum mireque continentem hominem, de sua arte athletica volumen condidisse, et a Demetrio non περὶ ποιητικῆς sed περὶ πυκτικῆς scriptum fuisse; idem Aristoteles postea ad philosophiam se converterit, ut fecere Pythagoras, Cleanthes, alii. (cf. Bentley Resp. ad Boyle II. p. 29 Lenn., Aelianus V. H. II. 23, Gräfenhan. II. 9.) Ceterum constat Aristotelem Cyrenaeum non fuisse pictorem neque ipsum simillimam pulcherrimae Laïdis imaginem depinxisse, sed Graeca verba apud Clementem γραψάμενος αὐτῆς ὡς ὅτι μάλιστα ὁμοιοτάτην εἰκόνα male Latine verti „eius quam simillimam imaginem pinxit" (Mull. F. H. Gr. I. p. 425), quum versum oportuit: pingendam curavit.

ΑΡΙΣΤΩΝΕΣ.

1. Aristo Chius.

Diogenes L. VII. 164. Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Ἀρίστων Ἰουλιήτης περιπατητικός· ὁ δέ τις μουσικὸς Ἀθηναῖος· τέταρτος ποιητὴς τραγῳδίας· πέμπτος Ἀλαιεὺς τέχνας γεγραφὼς ῥητορικάς· ἕκτος Ἀλεξανδρεὺς περιπατητικός.

Iam apud Lucianum quum in Lexiphane § 1 aliquis dixerat πολλοὶ μὲν οἱ Ἀρίστωνες et quum postea recentiores ad triginta collegerunt, miser Diogenes Laërtius nunc male audit, solitaque socordia egisse fertur, quod ex tanto numero nonnisi sex enumeraverit (Bähr. in Paulii Thes. I. p. 762); sed quidquid delirant reges, plectuntur Achivi; illi non viderant infinitas gratias esse agendas Diogeni, per quem nobis integrae particulae ex Demetrii Magnetis opere servatae sint; et non aliunde eum has omnes series descripsisse vel sola Aristonum series luculenter ostendit; confirmant enim duo illa gravissima argumenta:

alterum, in his catalogis neminem Demetrio iuniorem occurrere, alterum tantum non omnes scribendo operam dedisse. Probant haec et ii Aristones, quos hic non vides, v. c. ipsius Demetrii aequalis Aristo Cous, discipulus et heres Aristonis Alexandrini peripatetici, a Strabone p. 658 C. inter nobiles Coos recensitus; quum Demetrius eos tantum musicos aut artifices, qui de sua arte scripsere, recepit, idcirco hic neque apparent veteres illi Aristones statuarii et pictor (Sillig. C. A. p. 88.) neque Aristo Rheginus κιθαρῳδός, musico Atheniensi forte multo antiquior (Strabo p. 260, Antigon. Mirab. c. I.). Aristonem Alexandrinum male a Vossio p. 224 W. dici felici aevo Augusteo vixisse, et revera Critolai discipulum fuisse senemque Strabonis pueritiam attigisse (Strabo p. 790.), ostendit Fabricius B. Gr. II. 279 ed. 1ae et postea melius Mullerus F. H. Gr. III. 324; igitur Aristo Alexandrinus aliquot annis ante obierit, quam Demetrii opus περὶ ὁμωνύμων editum fuit, eiusque heredi Aristoni Coo forte accidit, ut felicem istam imperatoriam aetatem videret. Bährius, si rationem ὁμωνύμων in Diogene servatorum tenuisset, non dubitasset, quin inter Aristones minime nominandus sit philosophus et tyrannus Atheniensium, qui apud Athenaeum p. 211 dicitur Ἀθηνίων, apud ceteros auctores Ἀριστίων (quos vide apud Schweigh. ad hunc Athenaei locum ibique Casaubonum de duplici nomine Ἀθηνίων et Ἀριστίων; Clinton F. H. III. a° 87. a. C., Haack in Paulii Thes. I. 760, Mull. F. H. Gr. III. 270). Nomen Ἀριστίων scribae interdum in Ἀρίστων corruperunt.

Τέταρτος· ποιητὴς τραγῳδίας. Recte Fabricius B. Gr. I. p. 668 ed. 1ae ex Suida v. Ἰοφῶν hunc esse Sophoclis Tragici nothum intellexit; hic patris opera quoque διεσκεύασε (cf. Gräfenhan. II. p. 34); quum vero idem Fabricius l. l. addit: „alius Aristo auctor tragicus, de quo Livius in libro et capite 24°" in similem errorem incidit, qualem in aliis alii, etiam Fabricio recentiores, erraverunt; nam aliud agens legit Livium.

Livii verba haec sunt: „Themisto, cui Gelonis — rem consacratam paucos post dies Aristoni cuidam tragico a c t o r i — incauto aperit." Ita Livium reapse scripsisse, ostendunt confestim subsequentia: „huic et genus et fortuna honesta erant, nec ars, quia nihil tale apud Graecos pudori est, ea deformabat."

De Aristone Atheniensi musico nil aliunde constat, neque alibi occurrit ὁ Ἀλαιεύς. Patriae nomen, quod Demetrius non constanter apponere solebat aut potuit, apposite hic ad Aristonem rhetorem additum est, et novo certoque argumento demonstrat, nos habere Demetrii Magnetis intactam manum: apparet enim ab Alaeensi longe diversum esse eum rhetorem, quem Gerasa, ex Coelosyriae oppido oriundum fuisse Stephanus Byz. v. Γέρασα ex Philone dicit. Philo quum vixit saeculo primo et altero p. Chr. (Mull. F. H. Gr. III. 574), Gellii familiaris aut Agresphon aut Diogenes Laërtius aut Simonides, sed non Demetrius Magnes ex Philone Aristonem Gerasenum, se multo iuniorem, nosse potuit.

ΑΡΚΑΔΙΑΙ.

S t e p h a n u s B y z. πόλις Κρήτης, ὡς Ξενίων ἐν Κρητικοῖς. οἱ πολῖται ὁμοίως Ἀρκάδες. Δημήτριος δὲ οὐκ Ἀρκάδας τὴν πόλιν, ἀλλ' Ἀρκαδίαν φησίν· εἰκότως καὶ τὸ ἐθνικὸν ταύτης Ἀρκάδες.

Cum Demetrio consentit Plinius N. H. XXXI. 30. p. 103 Bip. et Plinii aetate illud oppidum nomen suum mutasse videtur. (cf. Paulii Thes. v. Arcades). — Stephani verba εἰκότως οὖν καὶ τὸ ἐθνικὸν ταύτης Ἀρκάδες labem contraxere: Stephanus nomen gentile ab Ἀρκαδία finxerat Demetrio assentiens, nunc vero per scribas ei obloquitur. Codex Vossianus Rhedigerano hic melior, pro Ἀρκάδες habet Ἀρκαδεύς, ubi latet vera scriptura Ἀρκαδιεύς. Hac forma restituenda, morem gerimus etiam consuetudini Stephani, qui ἐθνικὰ numero singulari adscribere solet, et Tryphonis canoni a Stephano v. Ἀγυιά servato: „ἔστιν

οὖν τὸ μὲν ἀγυιεύς ἀπὸ τοῦ ἀγυιά, ὡς Τρύφων φησὶν ἐν παρωνύμοις· „πᾶν εἰς ᾱ θηλυκὸν ἰσοσύλλαβον ἔχει τῇ εὐθείᾳ καὶ τῇ γενικῇ τὸ παρώνυμον, Μοψοπία Μοψοπιεύς, Ἐρετριεύς, Φωκαιεύς, Θεσπιεύς." item ab Ἀρκαδία Ἀρκαδιεύς et ab Ἀλθαία Ἀλθαιεύς.

ΑΡΚΕΣΙΛΑΟΙ.

1. Arcesilaus, Crantoris discipulus, mediae Academiae auctor.

Diogenes L. IV. 45. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Ἀρκεσίλαοι· ποιητὴς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἄλλος ἐλεγείας, ἕτερος ἀγαλματοποιός· εἰς ὃν καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν ἐπίγραμμα τουτί·

Ἀρτέμιδος τόδ' ἄγαλμα, διηκόσιαι δ' ἄρ' ὁ μισθὸς
δραχμαὶ ταὶ Πάριαι, τῶν ἐπίσημα τράγος.
ἀσκητὸς δ' ἐποίησεν Ἀθηναίης παλάμῃσιν
ἄξιος Ἀρκεσίλας υἱὸς Ἀριστοδίκου.

Apud Diogenem L. in Theophrasti vita (V. 41.) laudatur quidam scriptor Ἀρκεσίλαος Πιταναῖος; num ibi de corruptela cogitandum, quum saepe Ἀρκεσίλαος, Ἀκουσίλαος, et Ἀγησίλαος inter sese confunduntur? Non ita: Arcesilaus Pitanaeus nemo alius est, nisi philosophus, teste ipso Diogene IV. 28, Pitana in Aeolide oriundus. Verum satis constat, praeterquam ex Diogene IV. 32, ex locis a Fabricio B. G. II. p. 53 ed. 1ae et Clintono F. H. III. p. 511 allatis, Arcesilaum Pitanaeum inter eos philosophos fuisse, qui nihil scripti reliquerunt; hanc opinionem locus ex Theophrasti vita potius confirmat, quam labefactat, in quo loco Diogenes Favorinum et Favorinus Hermippum et auctore Favorino Hermippus Arcesilaum testem laudat de Theophrasto, iam sene lectica circumferri solito. Idem hic locus a Mullero inter Hermippi fragmenta relatus (F. H. Gr. III. 46.) virum summum ad Favorinum fugit.

Quod ad reliquos, Arcesilai sculptoris memoria alibi quoque servata est: Arcesilaus Parius, cuius inter antiquissimos encausticae pictores meminit Plinius N. H. XXXV. 11 § 38, idem est

ac noster, ut duo valida argumenta, hominis aetas drachmaeque Pariae evincunt; male et Silligius C. A. p. 79, et eum secutus Westermannus in Paulii Thes. I. p. 676, ut plerique omnes rationem ὁμωνύμων in Diogene servatorum ignorantes, pro uno duos dederunt. — Epigramma Simonidis habet et Hartung, *Griechische Lyriker* VI. 2. p. 215; hic Cobeti Diogenis editionem non adhibuisse videtur: in ea enim legitur, ut Heynius et Bergkius correxerant, item ἄξιος, quod Hartung voluit pro ἄξιον; quod ad alteram eius coniecturam, qua pro ἄρ' ὁ μισθὸς reponit ἄρα μισθὸς, etiamsi facilius ἄρ' ὁ depravatum esset ex ἄρα quam contra ἄρα ex ἄρ' ὁ, tamen articulus vix abesse poterit.

ΑΡΤΑΚΑΙ.

Stephanus Byz.: Ἀρτάκη, πόλις Φρυγίας, ἄποικος Μιλησίων. Δημήτριος δὲ νησίον εἶναί φησι καὶ Τιμοσθένης λέγων· „Ἀρτάκη τοῦτο μὲν ὄρος ἐστὶ τῆς Κυζικηνῆς τοῦτο δὲ νησίον, ἀπὸ γῆς ἀπέχον στάδιον. κατὰ τοῦτο λιμὴν ὑπάρχει βαθὺς ναυσὶν ὀκτὼ (?) ὑπὸ τῷ ἀγκῶνι, ὃν ποιεῖ τὸ ὄρος ἔχεσθαι (Berkelius ἔγγιστα) τοῦ αἰγιαλοῦ."

Demetrius neque Timosthenes negabant fuisse oppidum Artacen, sed accuratius locuti id conditum fuisse dicebant in insula Ἀρτάκῃ, cui cognominis mons imminebat. Idem tradit Strabo, aut Demetrium aut ut hic, Timosthenem secutus. Strabo p. 576 „ἐν ταύτῃ δὲ τῇ νήσῳ τῶν Κυζικηνῶν ὄρος ἐστὶν εὔδενδρον Ἀρτάκη, καὶ νησίον ὁμώνυμον πρόκειται τούτου." et p. 582 „Εὔδοξος δὲ ἀπὸ Πριάπου καὶ Ἀρτάκης τοῦ ἐν τῇ Κυζικηνῶν νήσῳ χωρίου ἀνταίροντος τῷ Πριάπῳ (τὴν ἀρχὴν ποιεῖται τῆς Τρῳάδος)." De Artace vide Grotefendum in Paulii Thes. v. Artace et Forbigerum II. p. 129 n. 99; uterque recte dicit, Strabonem, cui addas Timosthenem et Demetrium Magnetem et Plinium N. H. V 40 p. 350 Bip., idcirco non de urbe Artace, sed tantum de insula portuque locutum esse, quia urbs bello Persico

diruta et diu post Strabonem atque ante Stephanum Byz. (Procop. B. Pers. I. 25) tandem restituta fuerit. Forbigerus II. 391 in eo errat, quod Ptolemaeo nisus, locutus est de Bithyniae castello Artace ad Artanem flumen; quem errorem Grotefendus corrigens (Paulii Thes. I p. 836) id castellum non Ἀρτάκη sed ut et flumen Ἀρτάνης vocatum esse demonstravit, quemadmodum a Kieperto quoque in tab. XVII[a] utrumque recte repraesentatum est.

Verba illa Ἀρτάκη — αἰγιαλοῦ utrum in Demetrio an in Timosthene invenerat Stephanus? Ambo ei ad manum erant, quaeque v. c. ad Ἀπιδανός Stephanus adscripsit „ἐμβάλλων" cet., ea non ex Demetrio, verum ex Timosthene desumserat. Meinekius quum in codice Vossiano invenisset καὶ Τιμοσθένην, coniecit κατὰ Τιμοσθένην; sed vix putarim omnia illa ab Ἀρτάκη — αἰγιαλοῦ a Demetrio, qui brevitati studeret neque ut Stephanus centones corradere vellet, transcripta fuisse; horum potius nonnisi initium scripserit, addito Timosthenis nomine, haud aliter atque in fragmentis, Diogeni servatis, eum testes suos laudare videmus; reliqua κατὰ τοῦτο λιμήν, cet. imprimis locum sibi vindicant in opere Timosthenis Rhodii, qui Eratosthene antiquior σταδιασμόν (Steph. B. v. Ἀγάθη) ibique περὶ λιμένων scripserat. In hoc libro Timosthenes, quem Strabo (p. 92 et 422) magni facit et a quo Eratosthenes multa, licet non tanta, quanta dixit Marcianus Heracleota (Geogr. Min. I p. 565 ed. Muller.), mutuatus est, περίπλους et παράπλους suos descripsit, eodem modo ac postea fecit Anonymus in pretioso libro, Stadiasmo Maris Magni inscripto.

ΑΡΧΕΛΑΟΙ.

1. Archelaus physicus, Anaxagorae discipulus.

Diogenes L. II. 17. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Ἀρχέλαοι ὁ χωρογράφος τῆς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου πατηθείσης γῆς· ὁ τὰ ἰδιοφυῆ ποιήσας· ἄλλος τεχνογράφος ῥήτωρ.

ὁ χωρογράφος· Ukertus Geogr. I. 110 hunc incertae aetatis esse dicit, Forbigerus I. 161 dubitat, utrum hic an Cappadociae ultimus rex, de quo mox, auctor fuerit libri περὶ ποταμῶν (Stob. Serm. 100. 15).

ὁ τὰ ἰδιοφυῆ ποιήσας. Demetrius indicat, Archelaum eiusque operis celebritate non caruisse et, ut in notioribus facere solet, eius patriam addere omisit; hanc Chersonnesum Aegyptiacam, urbem non longe ab Alexandria dissitam, fuisse (Meinek. Anal. Alex. p. 342) ex Athenaeo p. 409 novimus. Vitiosis libris decepti, etiam postquam Vossius H. Gr. p. 397 seq. pleraque recte de ἰδιοφυῶν auctore viderat, olim dubitabant de libri titulo, quem librum nunc diu constat ἰδιοφυῆ inscriptum et epigrammatum collectionem amplexum fuisse (vide fragmenta in Paradoxogr. p. 159 ed. West.). Qui omnia de Archelais a Fabricio (B. Gr. II. 210 ed. 1ae et XIII. 79) aliisque (cf. Voss. H. Gr. p. 96 W.) confusa sint, haec indicare supervacaneum et a proposito nostro alienum est; sed mirum Westermannum, qui apud Vossium, a se denuo editum, illa recte conscripta invenisset, scripsisse in praef. ad Paradoxogr. p. XXIV „suspicor ἰδιοφυῆ quoque versibus scripta fuisse." Demetrii enim verba ab ipso Vossio allata, ὁ τὰ ἰδιοφυῆ ποιήσας hac de re omnem dubitationem tollunt; haec si tenuisset Westermannus, non duo diversa Archelai opera ἐπιγράμματα et ἰδιοφυῆ confinxisset. Idem, assentiente Bährio (in Paulii Thes. I. 681), Archelaum sub Ptolemaeo Philadelpho vixisse putavit; ab eo discrepans Mullerus F. H. Gr. III. p. 28 ex Antigono Car. c. 23 et 96, Varrone R. R. III. 16 et Plut. Cleone 39 sagaciter collegit, Archelaum Ptolemaei Philopatoris (220—206 a. C.) fuisse coaetaneum eidemque opus suum dedicasse. — Duo alia opera eiusdem generis et tituli memorantur, alterum Ptolemaei regis, ad quem sua Archelaus miserit, quemque Lobeckius Aglaoph. p. 749, ante Mullerum scribens, putabat fuisse Physconem; alterum Orpheo tribuebatur, quo opere Plinius se usum fuisse

testatur ad librum 28um Natur. Hist. componendum. Apud Plinium in Indice scriptorum libri 28i est: „Orpheus qui Διφυεῖς, Archelaus qui item". Διφυεῖς ab Harduino repositum est pro librorum Diophios, et iam olim Lobeckius l. l., Orphica illustrans, correxit Ἰδιοφυῆ.

Menagius Ionsii exemplum et ubique fere verba secutus, ὁμωνύμοις in Diogene Laërtio servatis alios omne genus addere solet; eum autem parum doctrinae ibi adhibuisse monere supervacaneum foret, nisi etiamnunc superessent, qui magni momenti eius commentarios esse habendos censerent (vide Bähr. in Paulii Thes. v. Diogenes Laërtius) et sua non multo melioris notae, his superstructa, venditarent. Et alibi et hic Bährium (Paulii Thes. I. 682) secum in errorem traxit Menagius scribens: „Meminit Archelai tragici celeberrimi Lucianus libro de Conscribenda Historia." At Lucianus (hist. quom. conscr. c. 1) non de tragico auctore sed actore locutus est: „αἰτίαν δέ μοι δοκεῖ τοῦ τοιούτου παρασχεῖν Ἀρχέλαος ὁ τραγῳδός, εὐδοκιμῶν τότε, μεσοῦντος θέρους ἐν πολλῷ τῷ φλογμῷ τραγῳδήσας αὐτοῖς τὴν Ἀνδρομέδαν."

τεχνογράφος ῥήτωρ. Homo ignotus. Non videtur huc trahendus antiquus grammaticus Laelius Archelaus (v. l. Archeas), Lucilii satyrographi interpres (Suet. de Illustr. gram. 2); sed hoc constat Archelaum, grammaticum, Cassii magistrum et ad eum a. 42 Rhodiorum legatum, iuniorem esse quam ut eum Demetrius reciperet (Appian. B. C. IV. 67.) cf. supra, p. 20.

Diogenem Laertium nobis Demetrii Magnetis catalogos servasse, Archelaorum quoque series demonstrat: haec enim series non habet Archelaum, Cappadociae ultimum regem, qui rex infortunio confectus ὑπέργηρως Romae obiit, ante Strabonis mortem (Strabo p. 534) anno fere 17 p. Chr. (Clinton F. H. III. p. 438) et cuius opus περὶ λίθων Plinius in Nat. Hist. condenda trivit.

ΑΡΧΥΤΑΙ.

Diogenes L. VIII. 82. Γεγόνασι δ' Ἀρχῦται τέτταρες· πρῶτος αὐτὸς οὗτος· δεύτερος Μυτιληναῖος μουσικός· τρίτος περὶ γεωργίας συγγεγραφώς· τέταρτος ἐπιγραμματοποιός. ἔνιοι καὶ πέμπτον ἀρχιτέκτονά φασιν, οὗ φέρεται βιβλίον περὶ μηχανῆς, ἀρχὴν ἔχον ταύτην· „Τάδε παρὰ Τεύκρου Καρχηδονίου διήκουσα." περὶ δὲ τοῦ μουσικοῦ φέρεται καὶ τόδε, ὡς ὀνειδιζόμενος ἐπὶ τῷ μὴ ἐξακούεσθαι, εἴποι· „τὸ γὰρ ὄργανον ὑπὲρ ἐμοῦ διαγωνιζόμενον λαλεῖ".

Ut in Aristotele obtinere videmus et in aliis apparet, Archytas quoque, Pythagoreus nobilissimus et princeps in re publica vir, cognominibus suis multas tenebras obduxit. Quae reliqui Archytae, eo aut iuniores aut antiquiores scripsere, ea ad unum philosophum trahebantur, et suum cuique tribuere ne Demetrius quidem iam potuit. Demetrii coaetaneus Varro de R. R. I. 1. confudit scriptorem de re rustica cum philosopho, idem postea fecit Columella I. 1. Varronem exscribens. Philosophus quidem non facile de agricultura scripserit, si verum est, quod ait Iamblichus de Vita Pyth. § 246. „Pythagorei προνοεῖν δεῖν μᾶλλον λέγουσι φιλοσοφίας ἢ γονέων καὶ γεωργίας" cet. Item liber περὶ αὐλῶν non ad philosophum, ut Athenaeus p. 184 et 600 credebat, etsi philosophus, ut omnes Pythagorei, musicae multum studebat, (Gräfenhan. I. 329,) sed ad musicum Mytilenaeum pertinuerit.

Vitruvius VII. praef. § 14. a philosopho architectum segregat.

ἐπιγραμματοποιός. Nullus alius est quam Archytas Amphissensis, Eratostheni et Euphorioni Chalcidensi aetate suppar, ut confirmat Meinekius Anal. Alex. p. 20 et 353—355, Demetrii Magnetis tamen verbis non usus. Meinekius Archytan, inter ὀψαρτυτικῶν scriptores ab Athenaeo p. 516 laudatum, eundem atque Amphissensem fuisse coniiciens, affert opinionem longe potiorem, quam Zellius (Paulii Thes. I. 692.), qui postquam

recte dixerat, a Bentleio male duos Archytas Pythagoreos fictos fuisse, addidit deceptus Varronis loco et Demetrii hos esse ὁμωνύμων catalogas ignorans: „praeterea philosopho tribuitur et opus de agricultura et ὀψαρτυτικά, et ut alii haec aliis tribuant, tamen non abhorrent a viro, qui non solum in sublimioribus rebus erat occupatus, sed etiam quotidianis operam navabat". Iam vero Pythagorei quum edidisse feruntur commentarios de re cibaria (Iambl. Pyth. c. 34), qui commentarii potius ad medicinam quam ad ὄψον parandum spectaverint, quumque constat Archytan Tarentinum musicae studuisse (Gräfenhan. l. l. Zell. in Paulii Thes. v. Archytas, Fabric. B. Gr. I. 395. ed. 1ae), suspicareris τὰ ὀψαρτυτικὰ et τὰ περὶ αὐλῶν postea a falsariis, uti alia opera, (Fabr. B. Gr. I. 394) philosopho false tributa fuisse, quod ignorans Athenaeus, solus utriusque operis testis, haec ad philosophum retulisset; verum si reputamus, iamdudum ante Athenaeum vel Varronem ea confudisse, illa scripta ab Athenaeo laudata, non falsariis, sed librum περὶ αὐλῶν Mytilenaeo musico et τὰ ὀψαρτυτικὰ epigrammatario, nisi mavis rei rusticae scriptori, tribuere licebit.

ΑΤΤΑΛΕΙΑΙ.

Stephanus Byz. Ἀττάλεια. πόλις Λυδίας πρότερον Ἀγρόειρα ἢ Ἀλλόειρα καλουμένη. οἱ δὲ τὴν Κιλικίας Κώρυκον οὕτω φασὶ λέγεσθαι, ὡς Δημήτριος, ἀπὸ Ἀττάλου Φιλαδέλφου κτίσαντος αὐτήν.

Potuerit hanc Attaliam memorare Demetrius Magnes, si de Magnete hic cogitandum, et sub Corycis et sub Attaliis; quia vero Stephanus, varios Corycos recensens, horum non meminit, verisimile est eum in Demetrio sub lemmate Ἀττάλειαι haec legisse, praesertim quum Demetrii aetate urbis nomen iam non Corycus, sed Attalia esset. Huc accedit, quod Stephanus, si apud Demetrium sub Κώρυκοι haec ei lecta fuissent, non con-

fudisset duos Corycos, nam ut monuit Salmasius, pro Coryco Pamphyliae male Ciliciae posuit. Attalum alterum, *Φιλάδελφον* posteaque *Φιλοποίμενα* cognominatum, duxisse coloniam in Pamphyliae Corycum eamque a se *Ἀττάλειαν* vocasse narrat Strabo p. 667; de hac Attalia vide Mullerum in Geogr. Min. p. cxxxvi et ad Anon. Stad. Maris Magni p. 482 et 488 seqq.; ceteras Attalias recensuit Grotefendus in Paulii Thes. I. p. 927.

B.

ΒΙΩΝΕΣ.

Diogenes L. 58. *Γεγόνασι δὲ Βίωνες δέκα· πρῶτος ὁ Φερεκύδῃ τῷ Συρίῳ συνακμάσας, οὗ φέρεται βιβλία δύο Ἰάδι. ἔστι δὲ Προκοννήσιος. δεύτερος Συρακόσιος, τέχνας ῥητορικὰς γεγραφώς· τρίτος αὐτὸς οὗτος· τέταρτος Δημοκρίτειος καὶ μαθηματικὸς Ἀβδηρίτης, Ἀτθίδι γεγραφὼς καὶ Ἰάδι. οὗτος πρῶτος εἶπεν εἶναί τινας οἰκήσεις ἔνθα γίγνεσθαι ἓξ μηνῶν τὴν νύκτα καὶ ἓξ τὴν ἡμέραν. πέμπτος Σολεύς, Αἰθιοπικὰ γεγραφώς· ἕκτος ῥητορικός, οὗ φέρεται ἐννέα βιβλία Μουσῶν ἐπιγραφόμενα· ἕβδομος μελικὸς ποιητής· ὄγδοος Μιλήσιος ἀνδριαντοποιός, οὗ μέμνηται καὶ Πολέμων· ἔνατος ποιητὴς τραγῳδίας τῶν Ταρσικῶν λεγομένων· δέκατος ἀγαλματοποιὸς Κλαζομένιος ἢ Χῖος, οὗ μέμνηται καὶ Ἱππῶναξ.*

Πρῶτος· In noto loco de furtis, quem Clemens Alex. Strom. VI. p. 752 ab Aristobulo Iudaeo furatus est, (cf. Cobet, Obs. Crit. in Platonis rell. p. 68 seqq.) Bion Proconnesius dicitur Cadmi Milesii historias in epitomen redegisse. Gräfenhanius I. p. 318. id exemplum antiquum sane epitomes faciendae vocat; verum haec Bionis quoque epitome Aristobulo relinquenda erit, quum Demetrius Aristobulo antiquior eam ignoraverit, qui tamen in Menippo (Diogenes VI. 101.) id notavit et exemplum tam priscum vix omisisset; praeterea Dionysius Halicarnassensis de Thucyd. idiom. c. 23 testatur, scripta, quae sub Cadmi Milesii nomine ferebantur, non ab omnibus fide digna habita esse,

et felix est Mulleri F. H. Gr. II. 1. suspicio, pseudo-Cadmum ex Bione Proconnesio esse conflatum.

δεύτερος Συρακόσιος· A Westermanno Gesch. der Bereds. I. § 781. inter incognitae aetatis refertur et satis antiquus videtur fuisse, fortasse unus ex iis, quos Demetrius in Aristotelis ἐπιτομῇ τῶν ῥητόρων invenit.

τέταρτος Δημοκρίτειος. Demetrius brevitati studens operam dabat, ut verbis paucissimis unumquemque scriptorem describeret; ubi interdum talia, qualia hic legimus, addidit, ibi agnoscimus polyhistorem, qui accurate singula de singulis perscrutatus erat. Haec οὗτος πρῶτος εἶπεν, cet. evincunt Bionem mathematicum, ut civem sic et discipulum Democriti philosophi fuisse eumque aetate antecessisse Timosthenem, cui coaetaneum fuisse suspicatus est Ukertus Geogr. II. 182 et 308. Ukertus I. 181 seqq. lectu digna praebet de dierum longitudine deque diversis Graecorum super eam rem opinionibus, vide et Forbigerum I. p. 202, 384, 548. Illas οἰκήσεις fuisse in insula Thule Pytheas Massiliensis narrabat (Plinius N. H. II. 77); iam Pytheas certo neque Alexandro Magno natu minor et Timosthene maior fuit: ergo Bion, qui primus haec dixerat, Pythea et Timosthene quoque antiquior ac Δημοκρίτειος i. e. ipsius Democriti auditor fuit.

πέμπτος. De eo egit et Mullerus in Geogr. Min. I. p. LX. id. F. H. Gr. IV. 350.

ἕκτος· ῥητορικός, οὗ φέρεται ἐννέα βιβλία Μουσῶν ἐπιγραφόμενα· Quod ad titulum Μουσῶν, vide exempla a Vossio H. G. p. 39 W. collecta. Quod ad ῥητορικός, quum non alterum exemplum adest hoc titulo Demetrium aliquem designasse, suspicandi locus esset, hic urbis nomen aut aliud quid latere, nisi ipse Demetrius lectionem ῥητορικός optime tueretur, qui in catalogo Heraclidarum (Diogenes L. V. 94) scripserat: δέκατος· ποιητικός, Παραινέσεις γεγραφώς. Quemadmodum et Demetrius ille, de quo noster scripsit (Diog. L. V. 83): Δημήτριος καλούμενος Γραφικὸς

καὶ σαφῆς διηγήσασθαι, hoc cognomen nactus erat quod δυνατὸς γράφειν habebatur, eodem sensu peritissimus suae quisque artis ἱστορικός, μουσικός, μελικός, λυρικός, πολιτικός, ῥητορικός aut ποιητικός appellari solet.

ἕβδομος· μελικός. Smyrnaeus notus Moschi amicus, quem eundem esse non omnes viderunt. Rectissime a Demetrio Bion dicitur μελικὸς ποιητής, qui praeter Βουκολικὰ etiam alia poemata pepegerit.

ἔνατος· ποιητὴς τραγῳδίας τῶν Ταρσικῶν λεγομένων. De Tarso et de Tarsicis classicus locus est Strabonis p. 673, egregie illustratus a summo viro Casaubono in libro de Satyrica Poësi. Casaubonus autem, nisus Strabone, de suis maxime temporibus locuto, dixit sero nec multo ante Geographum coepisse litterarum studia apud Tarsenses florere; verum et ultra progredi licet, ut hic Bion et Demetrius Ταρσικὸς σατυρογράφος a Demetrio Magnete memorati confirmant; Tarsus florebat postquam Alexander Magnus ex Graecia in Asiam bellatum transierat; diu ante Strabonem Chrysippus Stoicus Tarsi educatus fuit, unde Solis natus ὁ Ταρσεὺς quoque dicitur; alter Cilix, Crates, Mallo oriundus, in Ciliciae metropoli, patriae suae vicina, ἐπαιδεύθη. Westermannus, etsi ei Casaubonus de temporibus ante Strabonem iam praeiverat, Tarsum litteris floruisse ab Augusto ad Hadrianum scripsit. (Gesch. der Bereds. I. 184).

De statuario et de sculptore non alius locus affertur a Sillígio C. A. p. 107, apud quem pro Hippocrate corrigendum Hipponacte. — Nota sunt Hipponax et μάχη Βουπάλειος; quum Hipponax Clazomenis, Bupalus in Chio degeret, ille in iambo quodam ad hanc litem pertinenti huius Bionis meminerit.

Praeter Bionem Tarsicum afferri solet alius Bion tragicus Aeschyli filius, Demetrio Magneti ceterisque omnibus, qui ante Suidam vixere, ignotus. Suidas scripsisse creditur v. Αἰσχύλος: ἔσχε δὲ καὶ υἱοὺς Τραγικοὺς δύο, Εὐφορίωνα καὶ Βίωνα. Kusterus in duobus Mss. Parisinis invenit Εὐβίωνα, in tertio Εὐαίωνα;

Suidas igitur scripsit *ἔσχε δὲ καὶ υἱοὺς Τραγικοὺς δύο, Εὐφορίωνα καὶ Εὐβίωνα* vel *Εὐαίωνα.* Iam Bion alter tragicus evanuit et Suidam missum facere liceret, sed conferas *Εὐφορίωνα* cum *Εὐαίωνα* barbaroque *Εὐβίωνα*, et dubium non erit, quin Suidas ex duobus hauserit fontibus, quorum unus ei genuinam formam *Εὐφορίωνα*, alter corruptas praebuit, et Suidas nihil mali suspicatus, ex uno Aeschyli filio duos effinxerit.

Hic non occurrit Demetrio Magnete iunior Caecilius Bion medicus, quem Plinius demum novit, cuiusque opus *περὶ δυνάμεων* laudat. (Plin. N. H. XXVIII. c. 53, XXIX. 85. et index l. 29). Plures autem vel in Plinio occurrunt medici Graeculi, libertate et Latino nomine donati, ut Sallustius Dionysius (Plin. XXXII. 80), Petronius Diodotus (Plin. XX. 31).

Δ.

ΔΕΙΝΑΡΧΟΙ.

Dionysius Halic. de Dinarcho c. 1. *ἀλλὰ Δημήτριος ὁ Μάγνης, ὃς ἔδοξε γενέσθαι πολυΐστωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ, λέγων καὶ περὶ τούτου τοῦ ἀνδρός, καὶ ὑπόληψιν παρασχὼν, ὡς περὶ αὐτοῦ λέξων τι ἀκριβὲς, διεψεύσθη τῆς δόξης. οὐδὲν δὲ κωλύει καὶ τὰς λέξεις παραθέσθαι τοῦ ἀνδρός. ἔστι δὲ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γραφέντα τάδε·*

„*Δεινάρχοις δ' ἐνετύχομεν τέτταρσιν· ὧν ἐστιν ὁ μὲν ἐκ τῶν ῥητό-* „*ρων τῶν Ἀττικῶν· ὁ δὲ τὰς περὶ Κρήτην συναγηοχὼς μυθολο-* „*γίας. ὁ δὲ πρεσβύτερος μὲν ἀμφοῖν τούτοιν, Δήλιος δὲ τὸ* „*γένος, πεπραγματευμένος τοῦτο μὲν ἔπος, τοῦτο δὲ πρᾶγμα.* „*τέταρτος δὲ ὁ περὶ Ὁμήρου λόγον συντεθεικώς. ἐθέλω δὲ πρὸς* „*μέρος περὶ ἑκάστου διελθεῖν, καὶ πρῶτον περὶ τοῦ ῥήτορος. ἔστι* „*τοίνυν οὗτος κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν, οὐδὲν ἀπολείπων τῆς* „*Ὑπερείδου χάριτος, ὥστ' εἰπεῖν, καί νύ κεν ἢ παρέλασσ'. ἐνθύ-* „*μημα γὰρ φέρει πειστικόν, καὶ σχῆμα παντοδαπόν· πιθανότη-*

„τός γε μὴν οὕτως εὖ ἥκει, ὥστε παριστάναι τοῖς ἀκούουσι, μὴ „ἄλλως γεγονέναι τὸ πρᾶγμα, ἢ ὡς αὐτὸς λέγει. καὶ νομίσειεν „ἄν τις, εὐήθεις εἶναι τοὺς ὑπολαβόντας, τὸν λόγον τὸν κατὰ „Δημοσθένους εἶναι τούτου. πολὺ γὰρ ἀπέχει τοῦ χαρακτῆρος· „ἀλλ' ὅμως τοσοῦτον σκότος ἐπιπεπόλακεν, ὥστε τοὺς μὲν ἄλλους „αὐτοῦ λόγους, σχεδόν που ὑπὲρ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντας, „ἀγνοεῖν συμβέβηκε· τὸν δὲ μὴ γραφέντα ὑπ' αὐτοῦ μόνον ἐκείνου „νομίζεσθαι. ἡ δὲ λέξις ἐστὶ τοῦ Δεινάρχου κυρίως ἠθική, πάθος „κινοῦσα σχεδὸν τῇ πικρίᾳ μόνον, καὶ τῷ τόνῳ τοῦ Δημοσθενικοῦ „χαρακτῆρος λειπομένη, τοῦ δὲ πιθανοῦ καὶ κυρίου μηδὲν ἐνδέουσα."

2. Ἐκ τούτων οὐδέν ἐστιν οὔτε ἀκριβές, ἀλλ' οὔτε ἀληθὲς εὑρεῖν. οὔτε γὰρ γένος τἀνδρός, οὔτε χρόνους, καθ' οὓς ἦν, οὔτε τόπον, ἐν ᾧ διέτριψε, δεδήλωκεν. ὀνόματα δὲ μόνον κοινὰ καὶ περιτρέχοντα ἐσπούδασε καὶ πλῆθος λόγων εἶπεν οὐδενὶ τῶν.... σύμφωνον. εἰ δεῖ δὲ τοὐναντίον.

In Demetrii verbis scripsi συναγηοχώς pro vulgari συναγήοχε. — τοῦτο δὲ πρᾶγμα; Bentleius in Ep. ad Millium p. 335 seq. reponit τοῦτο δὲ γράμμα, altera eius coniectura δρᾶμα, ut et ipsi videbatur, minus habet, quo se commendet. πρῶτον: supple πρῶτον μὲν. καί νύ κεν ἢ παρέλασσ": non παρέλασεν, ut editur, sed παρέλασσ' Demetrius legerat in Homeri Iliade Ψ 382. Mox πειστικὸν et παριστάναι pro vulgatis πιστικὸν et παριστάνειν restitui. — τοσοῦτον σκότος ἐπιπεπόλακεν: Victorius in editione principe dederat τοσούτους σκόπους ἐπιπεπόληκεν. Sylburgius infelici coniectura coniiciebat τοσοῦτον οὗτος ἐπιπεπόλακεν. — σχεδόν που ὑπὲρ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντας ἀγνοεῖν. In his pro ἀγνοεῖν Sylburgium recte correxisse ἀγνοεῖσθαι demonstrat νομίζεσθαι. Praeterea legendum σχεδόν τι ὑπὲρ ἑξήκοντ' ὄντας, expunctis καὶ ἑκατὸν, quae verba ex dittographia nata sunt, ξ' et ρ' confusis; id mendum satis vetus esse ostendit Suidas v. Δείναρχος, at mendum esse confirmant ipse Suidas, pseudo-Plutarch. vit. X. or. p. 850 et hinc Photius cod. 267, qui 64 orationes genuinas dicunt; ipse Dionysius Halic. Demetrium

secutus, ex 87 orationibus habet 60 γνησίους λόγους (28 δημοσίους et 32 ἰδιωτικοὺς λόγους); sic Isaei 64 orationes circumferebantur quarum 50 genuinae, sic Demosthenis habebantur 65 genuinae (Clinton F. H. I. p. 355).

In Dionysii verbis c. 2. ὀνόματα δὲ μόνον κοινὰ καὶ περιτρέχοντα ἐσπούδασε, duae litterae revocandae videntur, nam aut σπουδάζειν περὶ ὀνόματα aut διασπουδάζειν ὀνόματα dicunt, unde legerim διεσπούδασε (cf. Dion. Hal. de Lysia § 14). Denique Sylburgius supplet οὐδενὶ τῶν προτέρων, vel τῶν δοκίμων, vel τῶν πιθανῶν σύμφωνον, εἰ δεῖ δὲ τἀληθῆ λέγειν καὶ τοὐναντίον vel ἤδη δὲ καὶ τοὐναντίον; possis et supplere οὐδενὶ τῶν εἰκότων σύμφωνον.

Iam Demetrius a Dinarcho abiudicat orationem adhuc superstitem contra Demosthenem, Dionysius p. 345 § 10 eandem ei vindicat. Uter potiorem sententiam protulerit, ego nunc quidem diiudicare non conabor, nam, ut Longinus dixisse fertur: πολλῆς πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα ἡ τῶν λόγων κρίσις. Dionysius a Demetrio in eo potissimum discrepat, quod hic dixerat Dinarchum Hyperidi gratia non solum non cedere verum et praestare, contra Dionysius c. 7. Dinarchum, Lysia gratia, Hyperide vi dicendi, minorem habet. Quod ad Demosthenem, quem omnium plurimi faciebat Dionysius, in sequenti capite utilis sui libri, optimum eius imitatorem vocat Dinarchum, longeque eum Rhodiacis Oratoribus anteponit; ante Dionysium Cicero de Dinarcho etiam lenius iudicaverat (Cic. de Orat. II. 34. Brut. 9 et 36).

In reliquis Dionysius consentit cum Demetrio, qui de Dinarchi λέξει dixerat κυρίως ἠθική, πάθος κινοῦσα — ἐνδέουσα; nam Dionysius tres orationes inter τοὺς ψευδεπιγράφους δημοσίους λόγους reiiciens, unam reiicit his verbis: ἀπ' αὐτοῦ τοῦ χαρακτῆρος εὕροι τις ἂν οὐκ ὄντα τὸν λόγον Δεινάρχου, ὑδαρής τε γὰρ καὶ ἀσθενὴς καὶ ψυχρός ἐστιν; duas reliquas διά τε τὸν χαρακτῆρα, ὑδαρὴς γὰρ καὶ κεχυμένος καὶ ψυχρὸς, et in duas

ex tribus reliquis publicis orationibus argumento eodem utitur. Quum Dionysius Demetrium carpit, quod hic Dinarchi patriam, aetatem aut sedem addere omisisset, vel fragmenta Diogeni servata ostendunt, hanc reprehensionem leviorem neque adeo ad rem esse; non solebat enim Demetrius in omnibus, certe notioribus, talia apponere, sed malebat interdum critici munere fungi, ut hic et in Epimenide (Diogenes I. 112) et in Xenophonte (Diogenes II. 58).

De Dinarcho oratore cf. Westermann. Gesch. d. Bereds. I. p. 311 seqq. Bähr. in Paulii Thes. II. 1023 seq., deque oratione in Demosthenem a Dinarcho abiudicanda, utpote ex Aeschinis Ctesiphontea conflata, fuse egit Westermannus Qu. Dem. III. p. 118—126; de Delio poëta deque historico vide Muller. F. H. Gr. IV. 391. Lobeck. Aglaoph. p. 573.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΙ.

Diogenes L. V. 83—85. *Γεγόνασι δὲ Δημήτριοι ἀξιόλογοι εἴκοσι· πρῶτος Χαλκηδόνιος* (l. *Καλχηδόνιος*), *ῥήτωρ καὶ Θρασυμάχου πρεσβύτερος· δεύτερος, αὐτὸς οὗτος· τρίτος, Βυζάντιος περιπατητικός· τέταρτος, καλούμενος Γραφικὸς καὶ σαφὴς διηγήσασθαι· ἦν δὲ ὁ αὐτὸς καὶ ζωγράφος· πέμπτος, Ἀσπένδιος, μαθητὴς Ἀπολλωνίου τοῦ Σολέως· ἕκτος Καλλατιανὸς, ὁ γεγραφὼς περὶ Ἀσίας καὶ Εὐρώπης εἴκοσι βίβλους· ἕβδομος, Βυζάντιος, ἐν τρισκαίδεκα βιβλίοις γεγραφὼς τὴν Γαλατῶν διάβασιν ἐξ Εὐρώπης εἰς Ἀσίαν καὶ ἐν ἄλλοις ὀκτὼ τὰ περὶ Ἀντίοχον καὶ Πτολεμαῖον καὶ τὴν τῆς Λιβύης ὑπ' αὐτῶν διοίκησιν· ὄγδοος, ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σοφιστὴς, τέχνας γεγραφὼς ῥητορικάς· ἔνατος, Ἀδραμυττηνὸς, γραμματικὸς ἐπικληθεὶς Ἰξίων διὰ τὸ ἀδικῆσαί τι δοκεῖν περὶ τὴν Ἥραν· δέκατος, Κυρηναῖος, γραμματικὸς, ὁ ἐπικληθεὶς Στάμνος, ἀνὴρ ἀξιόλογος· ἑνδέκατος, Σκήψιος, πλούσιος καὶ εὐγενὴς ἄνθρωπος καὶ φιλόλογος ἄκρως· οὗτος καὶ Μητρόδωρον προεβίβασε τὸν πολίτην· δωδέκατος, γραμματικὸς*

Ἐρυθραῖος πολιτογραφηθεὶς ἐν τῇ Μνῷ· τρισκαιδέκατος, Βιθυνὸς Διφίλου τοῦ στωικοῦ υἱός, μαθητὴς δὲ Παναιτίου τοῦ Ῥοδίου· τεσσαρεςκαιδέκατος, ῥήτωρ Σμυρναῖος. καὶ οὗτοι μὲν λογικοί, ποιηταὶ δέ· πρῶτος ἀρχαίαν κωμῳδίαν πεποιηκώς· δεύτερος ἐπῶν ποιητής, οὗ μόνα σώζεται πρὸς τοὺς φθονεροὺς εἰρημένα τάδε·

ζῳὸν ἀτιμήσαντες ἀποφθίμενον ποθέουσι
καί ποθ' ὑπὲρ τύμβοιο καὶ ἀπνόου εἰδώλοιο
ἄστεα νεῖκος ἐπῆλθεν, ἔριν δ' ἐστήσατο λαός.

τρίτος, Ταρσικὸς σατυρογράφος· τέταρτος ἰάμβους γεγραφώς, πικρὸς ἀνήρ· πέμπτος, ἀνδριαντοποιός, οὗ μέμνηται Πολέμων· ἕκτος, Ἐρυθραῖος, ποικιλογράφος ἄνθρωπος, ὃς καὶ ἱστορικὰ καὶ ῥητορικὰ πεποίηκε βιβλία.

πρῶτος, Χαλκηδόνιος (l. Καλχηδόνιος). Thrasymachus hic memoratur ut Demetrii Calchedonii civis, cuius forsitan discipulus fuerit aut in scriptis suis meminerit. De Thrasymacho egerunt Viri Celeberrimi Geel in Hist. Crit. Sophistarum p. 220—224 et Groen v. Pr. in Prosop. Platon. p. 107—110. Demetrius Magnes, habita hic temporum ratione, notissimo Phalereo anteposuit Calchedonium, quem Bährius (Paulii Thes. II. 937) vetere Diogenis L. exemplari usus, vocavit Carthaginiensem; ex Καρχηδόνιος confirmatur formam genuinam esse Καλχηδόνιος.

δεύτερος, αὐτὸς οὗτος. i. e. ὁ Φαληρεύς. Diogenes L. V. 75 ἄρξασθαι δ' αὐτὸν τῆς πολιτείας φησὶ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς Ὁμωνύμοις, ὁπότε φυγὼν Ἀλέξανδρον εἰς Ἀθήνας ἧκεν Ἅρπαλος.

Cf. Clintonum F. H. a° 325, cui non alius testis laudatur.

τέταρτος. Ad hunc non dubium, quin referendi sint loci, allati a Walzio in Paulii Thes. II. 144 et ad Demetrium undevicesimun, Polemone antiquiorem, ea quae idem Walzius p. 943.

πέμπτος. De hoc deque praeceptore Apollonio Solensi aliunde non constat. Quum Aspendus Pamphyliae urbs sit, hic forte, ut alii multi, de patria sua scripserit et auctor fuerit τῶν Παμφυλικῶν, de quibus adi Muller. F. H. Gr. IV. 382.

Quinque philosophis subiiciuntur duo historici:

ἕκτος Καλλατιανός. De eo operisque fragmentis egit Muller. F. H. Gr. IV. 380 seqq. Geogr. Min. I. p. LVIII. Clinton F. H. III. p. 559. Alii olim et Westermannus in Paulii Thes. II. 943 Demetrium dixerunt fuisse oriundum Calati sive Callatia, ex Moesiae oppido; verum natus est in ea insula quae tota τῇ Δημητρὶ sacra erat, nempe in Siciliae urbe τῇ καλῇ ἀκτῇ. Demetrium Magnetem in talibus probam scripturam Καλακτῖνος servasse, confirmant perpolita eius oratio aliaque, aeque depravari solita, forma Καλχηδόνιος, quam in vitioso Καρχηδόνιος latere vidimus. (cf. Cobetum V. L. p. 199). In pseudo-Scymno Chio v. 117 Mullerus edidit:

Δημητρίῳ τε Καλλατιανῷ συγγραφεῖ,

adnotans: „Καλατιανῷ codex: emendavit Meinekius." Codicis forma non λ sed κ desiderat et legendum Καλακτιανῷ; pseudo-Scymno non melior forma sed sequior Καλακτιανῷ relinquenda, ut in hoc versu metrum, inque ceteris sordidior Graecitas arguit.

ἕβδομος Βυζάντιος. Huius duo grandia opera multis libris historiam paucorum annorum complectebantur, neque mirum si idcirco fragmenta non supersunt. Voss. H. Gr. p. 125 W. Muller. F. H. Gr. II. 624.

Duos historicos excipiunt quinque grammatici:

ὄγδοος, ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σοφιστής, τέχνας γεγραφὼς ῥητορικάς. Postquam satis compertum fuit, librum περὶ ἑρμηνείας a Demetrio Phalereo non fuisse conscriptum, verum ab homine, fuerit Demetrius quidam nec ne, qui iunior erat Theodoro Gadareno, Tiberii praeceptore, viri docti coniecerunt (cf. Walz. apud Goellerum in praefat. editionis Demetrii π. ἑρμ. p. xxix) auctorem libri esse Demetrium Alexandrinum, qui fuit Favorini familiaris et sic laudatur a Galeno ad Epigenem c. 5 (XIV. 627 Kuhn.): ὁ Δημήτριος Ἀλεξανδρεὺς Φαβωρίνου. Haec Galeni verba ad libellum περὶ ἑρμηνείας traxerunt freti

Diogenes Laërtii, ut credebant, verbis ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξ. σοφιστὴς τ. γ. ρ. In hunc errorem igitur imprudentes inciderunt, quum horum catalogorum rationem nescientes, a Diogene eos esse confectos et in his occurrere credebant nomina eorum, qui Favorini aetatem attigissent. At longe secus esse, periti intelligunt; etiamsi enim ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ idem haberi posset atque ὁ Ἀλεξανδρεύς et Favorini amicus fuisset sophista et liber περὶ ἑρμηνείας inter τέχνας ῥητορικάς esset referendus, nunquam tamen Demetrius Magnes aut τοῖς ἀξιολόγοις, aut inhonoratis Demetriis auctorem libri περὶ ἑρμηνείας, non ante Augusti principatum conscripti, annumerare potuit. Itaque constat, quinam non sit habendus ὁ Δημήτριος ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σοφιστής; ultra progredi non contigit; verisimile est eum, qui Alexandriae degit ac rhetorica conscripsit, quatuor subsequentibus, quos grammaticos fuisse constat, ut et ipsum grammaticum coniungendum esse, eosque aetate praecessisse. In his quum duo Aristarcho aequales occurrunt, ad sophistam tamen vix trahendus Δημήτριος ὁ Ζηνοδότειος (Schol. Arist. Pax. 123): hunc Demetrius maluerit inter ignobiles relinquere quam ut γραμματικὸν Ζηνοδότειον recipere.

ἔνατος, Ἀδραμυττηνός, γραμματικός, ἐπικληθεὶς Ἰξίων.

Ixion primus ex omnibus adhuc recensitis est, per quem licere non videtur, ut Demetrio Magneti catalogos, a Diogene servatos, reddamus. Legimus enim apud Suidam v. Δημήτριος ὁ Ἰξίων, Ixionem fuisse κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους; iam quum constat Demetrium Magnetem, etiamsi recepisset scriptores, quum in scribendo occupatus esset, superstites, tamen ignorare debuisse Augusti coaetaneos: simul apparet istiusmodi catalogos, ubi Ixion, Augusti quidem aequalis, alii auctori relinquendos esse. Suidas tamen non is est, qui nos confundat, nam, ut notum, nisi aliunde confirmatur, ei fides saepius deneganda quam habenda; at idem uno tenore addit: „ἐπεκλήθη δὲ τοῦτο, ὡς μέν τινες, διότι λεπίδας χρυσᾶς κλέπτων τοῦ ἐν Ἀλεξαν-

δρείᾳ τῆς Ἥρας ἀγάλματος ἐφωράθη· ὡς δὲ ἄλλοι ὅτι ἀπεσύλησεν Εὐριπίδειον Φιλότιμον τὸ δρᾶμα ἔχον τὸν Ἰξίονα· ἕτεροι δὲ ὅτι τῷ διδασκάλῳ Ἀριστάρχῳ ἀντήρισεν, ὥσπερ ὁ Ἰξίων εὐεργετήσασιν αὐτὸν τοῖς θεοῖς ἀχαριστεῖν ἐπεχείρησεν", et ex tetro adversario eundem, strenuum propugnatorem nacti sumus; in his enim Suidae verbis haud obscura mentio inest Ixionem praeceptore usum fuisse Aristarcho; hoc verum est et facile condonamus Suidae, qui in tanta Demetriorum copia ac turba diversos confuderit; recte autem Suidam Ixionem dicere Aristarchi discipulum vel inde apparet, quod Demetrius Magnes de Ixione mortuo loquitur, ut ἐπικληθείς demonstrat. De Demetrii operibus, et nomine Ἰξίων bona dedit Gräfenhanius I. 421 seqq. 520. II. 55, 118. 173. et ab eo segregavit (I. 545) Demetrium τὸν Πύκτην; hic aut Magnete iunior fuit, aut ab eo non ἀξιόλογος habitus est. Gräfenhanius tamen non in illis est, qui horum ὁμωνύμων catalogorum rationem tenent et haud minus ac Clintonus F. H. III. 550. de Ixionis aetate titubavit, nam in eodem sensu, in priore parte (Gräfenh. I. 421) eum Aristarcho aequalem fuisse, contra in fine, sub Augusto vixisse scripsit.

δέκατος. Ab ὁμωνύμων auctore inter ἀξιολόγους Demetrios ἀξιόλογος ἀνὴρ dictus, is nobis quidem aliunde ignotus est; duo autem sunt, unde conficias τὸν Στάμνον ex Alexandrina schola profectum fuisse: alterum, quod Cyrene natus medius et ipse grammaticus inter eos grammaticos occurrit, qui Alexandriae degerunt, alterum, quod in eo quoque superborum Alexandrinorum consuetudinem agnoscimus, qui scurrilibus nominibus se invicem ludebant; quorum tamen nominum non mirum, si hodie nobis periit aculeus. (cf. Gräfenh. I. 393, Muller. F. H. Gr. III. 167). Eiusmodi quaedam cognomina attulit Valckenaerius de Aristobulo p. 110, et ad nomen Στάμνος vide Aeliani V. H. XII. 126, περὶ οἰνοφλυγῶν τινῶν et Geier. Alex. Magni Histor. Scr. p. 317.

ἑνδέκατος, Σκήψιος. Insignis γραμματικός (Strabo p. 609)

Cratetis et Aristarchi aequalis, huic uni laude cessit; eius praeclarum opus ὁ Τρωϊκὸς διάκοσμος constabat libris triginta, ut ante Forbigerum (I. 244) notaverant Fabricius B. Gr. X. p. 390 ed 1ae et Clintonus F. H. III. p. 527; apud Strabonem, totum in Homerica geographia, utramque paginam facit ὁ Σκήψιος, inque his ὁμωνύμων catalogis nemo alter tantis laudibus effertur: unumquodque verbum, quod Demetrius Magnes, quem Strabo p. 603 et 609 egregie confirmat atque illustrat, de Scepsio posuit, huic fuit laudi, et Scepsius discipulum quoque se dignum habebat Metrodorum Scepsium. Metrodorus, mortuus a° 70 a. C. (Clinton. F. H. a. 70.), non iniurie ὁ μισορωμαῖος dicebatur, ut eodem exemplo demonstrarunt Vossius H. Gr. p. 180 W. et Niebuhrius Vortr. über alte Länder-u. V. p. 548, praeeunte eos Plinio N. H. 34, p. 239 Bip.

Demetrius Scepsius, qui de antiquis patriae suae incolis scripsit, non diversus fuerit a Demetrio Iliensi, quae probabilis est suspicio Mulleri, F. H. Gr. IV. 382.

δωδέκατος, γραμματικὸς Ἐρυθραῖος πολιτογραφηθεὶς ἐν τῇ Μνῷ. Omnes olim ediderunt ἐν Τημνῷ et verterunt „civitate donatus in Temno." Cobetus in codd. invenit ἐν τῇ Μνῷ, unde elicuit Erythraeum civitate donatum fuisse Romana et Magnetem scripsisse ἐν τῇ Ῥώμῃ. Haec ita se habere et Demetrium Magnetem de Erythraeo iam mortuo locutum fuisse, satis constat. Non cum Vossio H. Gr. p. 426 W. et Mullero F. H. Gr. IV. 382 Demetrius Erythraeus, ordine undevicesimus, verum cum Clintono F. H. a. 71. et Bährio (Paulii Thes. II. 940) hic Demetrius Erythraeus, ordine duodecimus, existimandus est aemulus fuisse Tyrannionis Amiseni tempore Luculli et Mithridatis (Suidas v. Τυραννίων).

ἀρχαίαν κωμῳδίαν πεποιηκώς. vide Mein. H. C. Com. Gr. p. 264 Clinton. F. H. a°. 229.

Reliqui Demetrii scriptores recensentur potissimum a Fabricio B. Gr. et Bährio aliisque in Paulii Thes. II. 937 seqq.

Apparet autem Demetrium Magnetem aliquot omisisse se antiquiores, et non recepisse sibi aequales aut fere aequales, ut Demetrium Laconem Epicureum *ἐπιφανῆ*, ut Demetrium Peripateticum, qui a°. 46 a. C. Catoni moribundo Uticae aderat (Plut. Cato 65). Cur Demetrius Cynicus non ignobilis, Apollonei Tyanei familiaris, aliique, Augusto aequales et posteriores, hinc longe absint, repetere fatuum foret.

ΔΗΜΟΚΡΙΤΟΙ.

Diogenes L. IX. 49. *Γεγόνασι δὲ Δημόκριτοι ἕξ· πρῶτος αὐτὸς οὗτος· δεύτερος Χῖος μουσικὸς κατὰ τὸν αὐτόν χρόνον· τρίτος ἀνδριαντοποιὸς, οὗ μέμνηται Ἀντίγονος· τέταρτος περὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Ἐφέσῳ γεγραφὼς καὶ τῆς πόλεως Σαμοθρᾴκης· πέμπτος ποιητὴς ἐπιγραμμάτων σαφὴς καὶ ἀνθηρός· ἕκτος Περγαμηνὸς ἀπὸ ῥητορικῶν λόγων.*

1. *αὐτὸς οὗτος.* Diogenes L. IX. 35—36. *Φησὶ δὲ Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις καὶ Ἀντισθένης ἐν διαδοχαῖς ἀποδημῆσαι αὐτὸν καὶ εἰς Αἴγυπτον πρὸς τοὺς ἱερέας, γεωμετρίαν μαθησόμενον καὶ πρὸς Χαλδαίους καὶ εἰς τὴν Περσίδα καὶ εἰς τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν γενέσθαι. τοῖς τε Γυμνοσοφισταῖς φασί τινες συμμῖξαι αὐτὸν ἐν Ἰνδίᾳ καὶ εἰς Αἰθιοπίαν ἐλθεῖν. τρίτον τ' ὄντα ἀδελφὸν νείμασθαι τὴν οὐσίαν καὶ οἱ μὲν πλείους φασὶ τὴν ἐλάττω μοῖραν ἑλέσθαι τὴν ἐν ἀργυρίῳ, χρείαν ἔχοντα κατ' ἀποδημίαν, τοῦτο κἀκείνων δολίως ὑποπτευσάντων. ὁ δὲ Δημήτριος ὑπὲρ ἑκατὸν τάλαντά φησιν εἶναι αὐτῷ τὸ μέρος, ἅπαντα δὲ καταναλῶσαι. λέγει δ' ὅτι τοσοῦτον ἦν φιλόπονος, ὥστε τοῦ περικήπου δωμάτιόν τι ἀποτεμόμενος κατακλειστὸς ἦν, καί ποτε τοῦ πατρὸς αὐτοῦ πρὸς θυσίαν βοῦν ἀγαγόντος καὶ αὐτόθι προςδήσαντος, ἱκανὸν χρόνον μὴ γνῶναι, ἕως αὐτὸν ἐκεῖνος διαναστήσας προφάσει τῆς θυσίας καὶ τὰ περὶ τὸν βοῦν διηγήσατο. δοκεῖ δέ, φησί, καὶ Ἀθήναζε ἐλθεῖν καὶ μὴ σπουδάσαι γνωσθῆναι, δόξης καταφρονῶν, καὶ εἰδέναι μὲν Σωκράτην, ἀγνοεῖσθαι δὲ ὑπ' αὐτοῦ· „ἦλθον γάρ, φησίν, ἐς Ἀθήνας καὶ οὔτις με ἔγνωκεν."*

Omnia fere quae ad Democritum pertinent, multis fabulis involuta sunt, eaque sic, ut in fabulosis te versari statim agnoscas; quo anno natus fuerit parum constat: recte Mullerus F. H. Gr. II. 24 eum a°. 460 maiorem fuisse putat multaque indicia esse, unde conficeres eum circa a. 494 fuisse natum. Ceterum quae ad Democriti itinera pertinentia Diogenes sumsit ex Demetrio eoque antiquiore Antisthene, earum rerum antiquissimus testis est Theophrastus, quem laudat Aelianus V. H. IV. 20.

δοκεῖ καὶ-'Αθήναζε ἐλθεῖν. Non temere scripserat Demetrius, videri Democritum Athenas adiisse, quum multum iam olim dubitassent an scripta sub eius nomine circumlata genuina essent, et Demetrius Phalereus, auctore Diogene Laërtio IX. 37, negabat Democritum venisse Athenas. Valerius Maximus 8. 7. 4. scripsit: „Democritus Athenis ignotus illi urbi vixit, quod ipse in quodam volumine testatur." Cicero Tuscul. Qu. V. 36. idem volumen, quod Demetrius Magnes et Valerius Maximus significant, cognoverat, vertit enim ad verbum Graeca: „veni Athenas neque me quisquam ibi novit."

Diog. L. IX. 39—40. *νόμου δὲ ὄντος τὸν ἀναλώσαντα τὴν πατρῴαν οὐσίαν μὴ ἀξιοῦσθαι ταφῆς ἐν τῇ πατρίδι, φησὶν ὁ 'Αντισθένης, συνέντα, μὴ ὑπεύθυνος γενηθείη πρός τινων φθονούντων καὶ συκοφαντούντων, ἀναγνῶναι αὐτοῖς τὸν μέγαν Διάκοσμον, ὃς ἁπάντων τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων προέχει καὶ πεντακοσίοις ταλάντοις τιμηθῆναι· μὴ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ χαλκαῖς εἰκόσι. καὶ τελευτήσαντ' αὐτὸν δημοσίᾳ ταφῆναι, βιώσαντ' ὑπὲρ τὰ ἑκατὸν ἔτη. ὁ δὲ Δημήτριος τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ φησιν ἀναγνῶναι τὸν μέγαν Διάκοσμον, ὃν μόνον ἑκατὸν ταλάντων τιμηθῆναι. ταῦτα δὲ καὶ 'Ιππόβοτός φησιν.*

Historiolam de 500 talentis, aeneis statuis, cet. Antisthenes hauserit ex Hermippo, qui super Democriti extremam vitam mira tradidit (Diog. L. IX. 43). Demetrius hic cum Antisthene non facit, neque alibi constanter Hermippum secutus est (vide

Δημοσθένεις, *Ἰσαῖοι*), et non omittendum quum ex sententia Demetrii et Hippoboti, incertae aetatis scriptoris (Voss. H. Gr. p. 455 W.), Democritus *τὸν μέγαν Διάκοσμον* scripserit, Theophrastum hoc opus Leucippo, Democriti praeceptori tribuisse, (Diog. IX. 46). Cf. Suidas v. *Δημόκριτος*.

Quae reliquos Democritos spectant, ea collegerunt Ionsius 1. 4. 2. Fabric. B. Gr. I. 811. II. 814 ed 1ae. — Menagius h. l. ex Ionsio recte scripsit, Vitruvium in praef. l. VII. de nullo alio nisi Democrito, qui de templo Ephesio suaque patria Samothrace egit, locutum fuisse, neque ille, quod omnes Vitruvii codices habeant Demetrius, idcirco dubitare debuisset restituere Democritus. Haec Menagii multos recentiores fugerunt; iidem rationem horum *ὁμωνύμων* catalogorum ignorantes, aut de Democrito, aut de Demetrio Samothrace, qui numquam fuit, aut de utroque simul locuti sunt. cf. Thiersch, Epochen p. 136, Walz. in Paulii Thes. II. 943. Gräfenhan. II. p. 208 et 211.

Ad Democritum Chium musicum nonnulla ex scriptis musicis forte referenda sunt, quae Diogenes L. inter philosophi opera recensuit.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΕΙΣ.

Demosthenes suum sibi lemma inter *ὁμωνύμους* habebant: praeter oratorem constat Demetrio Magnete antiquiorem fuisse non inhonoratum poëtam Demosthenem Bithynum, *Βιθυνιακῶν* et *κτίσεων* auctorem, quem Meinekius Anal. Alex. p. 21 Euphorionis Chalcidensis aequalem fuisse suspicatur. Vide de eo Mullerum F. H. Gr. IV. 384. et III. 207, ubi Alexander Polyhistor, Demetrii Magnetis non iunior aequalis, laudat Demosthenem in Libycis; alios Demosthenes dabunt Fabricius B. Gr. et Westermannus Qu. Dem. IV. 39.

Demosthenes, orator.

Ps. Plutarchus. vitae X. orat. p. 844: *ὡς δὲ Ἡγησίας ὁ Μάγνης φησίν, (ὁ Δημοσθένης) ἐδεήθη τοῦ παιδαγωγοῦ ἵνα Καλλι-*

στράτου Ἐμπαίδου, Ἀφιδναίου, ῥήτορος δοκίμου καὶ ἱππαρχήσαντος καὶ ἀναθέντος τὸν βωμὸν τῷ Ἑρμῇ τῷ ἀγοραίῳ, μέλλοντος ἐν τῷ δήμῳ λέγειν, ἀκούσῃ· ἀκούσας δὲ ἐραστὴς ἐγένετο τῶν λόγων καὶ τούτου μὲν ἐπ' ὀλίγον ἤκουσεν, ἕως ἐπεδήμει, ἐπειδὴ δ' ὁ μὲν ἔφυγεν εἰς Θρᾴκην, ὁ δ' ἐγεγόνει ἐξ ἐφήβων, τηνικαῦτα παρέβαλλεν Ἰσοκράτει καὶ Πλάτωνι, εἶτα καὶ Ἰσαῖον ἀναλαβὼν εἰς τὴν οἰκίαν τετραετῆ χρόνον αὐτὸν διεπόνησε μιμούμενος αὐτοῦ τοὺς λόγους. — **Ut in Dionysio Halicarnassensi Casaubonum et in Photio Dobraeum nomen Demetrii Magnetis restituere vidimus, ita hoc loco Ruhnkenius non** Ἡγησίας, **sed** Δημήτριος **olim scriptum fuisse, vel certe scriptum oportuisse monuit. Quod ad rem, qui hanc quoque narraverat Hermippus et color narrationis, qualis ex eo apud Gellium III. 13 et Plutarchum Dem. 5. legitur, ii non faciunt, ut huic historiolae multum tribuamus. Hermippus peripateticus et Platonem carpere, quem Demosthenes celeberrimus omnium orator deseruerit, et ipsum oratorem laudare voluerit. Bakius V. Cl. (Schol. Hypomn. III. 374 seq.) postquam historiam, de Callistrato et causa Oropea traditam, traditionem vocaverat, ostendit in Demosthenem adolescentulum undeviginti annorum cadere non posse, ut a° 366 a. C. paedagogo suo paruerit, quo anno secundum Hermippum in causa Oropea Callistratum audiverit, et Hermippum errasse, quum diceret Callistratum habuisse Demosthenem inter suos discipulos. Iam quod antea diximus, Demetrium Magnetem non ubique Hermippum fuisse secutum, id hic locus confirmat. Demetrius enim eo longe veri similiora dedit; nimirum non ut Hermippus dixit Demosthenem Callistratum audivisse in incerta causa Oropea a° 366, sed neque annum neque causam definiens, tantum dixit eum, quum adhuc in pueris esset, Callistratum** ἐν τῷ δήμῳ λέγοντα **audivisse, neque eum discipulum factum esse Callistrati, quod, quia Callistratus** δημαγωγὸς **erat, ne fieri quidem potuit; sed eum per breve temporis spatium Callistratum, quamdiu hic Athenis**

ἐπεδήμει, audivisse; denique duum Hermippus tradiderat Demosthenem, deserto Platone, Callistratum sectatum esse, maximopere ab eo discrepat Demetrius, nam dicit, tum demum, quum Callistratus solum vertisset et Demosthenes adolescens factus esset, hunc ad Isocratem, Platonem (cf. Muller F. H. Gr. III. 117) Isaeumque se convertisse. Haec melius procedunt; Demosthenes puer uno alterove anno ante 366 audiverit Callistratum, quem ex veteribus oratoribus, ut superstites orationes demonstrant, plurimi aestimabat, et Callistratus haud ita diu post 366 in exsilium abierit. cf. Grote, Hist. of. Greece XI. p. 266 ed. Americ., qui rem narrat, non diiudicat.

Ἐμπαίδου — ἀγοραίῳ. Demetrius, nisi huius vitae auctor haec aliunde petierit, et hic ut in *Ἡγησίας* pro *Δημήτριος* peccarit, male *Ἐμπαίδου* pro *Καλλικράτους* scripsit, oratorem confundens cum antiquiore Callistrato.

2. Plut. Dem. c. 15. (*Δημοσθένης ἠγωνίσατο*) *τὸν περὶ τῶν ἀτελειῶν διὰ τὸν Χαβρίου παῖδα Κτήσιππον, ὥς φησιν αὐτός, ὡς δ' ἔνιοι λέγουσι τὴν μητέρα τοῦ νεανίσκου μνώμενος. Οὐ μὴν ἔγημε ταύτην, ἀλλὰ Σαμίᾳ τινὶ συνῴκησεν, ὡς ἱστορεῖ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς περὶ συνωνύμων* (l. *ὁμωνύμων*). Vide supra, p. 13.

3. Plut. Dem. c. 27. *ἐφ' οἷς ἡσθεὶς ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ψηφίζεται τῷ Δημοσθένει κάθοδον. Τὸ μὲν οὖν ψήφισμα Δήμων ὁ Παιανιεύς, ἀνεψιὸς ὢν Δημοσθένους, εἰσήνεγκεν· ἐπέμφθη δὲ τριήρης ἐπ' αὐτὸν εἰς Αἴγιναν. Ἐκ δὲ Πειραιῶς ἀνέβαινεν οὔτε ἄρχοντος οὔτε ἱερέως ἀπολειφθέντος, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν ὁμοῦ πάντων ἀπαντώντων καὶ δεχομένων προθύμως. Ὅτε καί φησιν αὐτὸν ὁ Μάγνης Δημήτριος, ἀνατείναντα τὰς χεῖρας μακαρίσαι τῆς ἡμέρας ἐκείνης αὐτόν, ὡς βέλτιον Ἀλκιβιάδου κατιόντα· πεπεισμένους γὰρ οὐ βεβιασμένους ὑπ' αὐτοῦ δέχεσθαι τοὺς πολίτας.*

Clintonus F. H. a. 323 unum alium locum affert, (Plut.) vit. X. or. p. 846 d. ubi itidem Demon memoratur. Westermannus

(Paulii Thes. II. 969) affert et Iustin. XIII. 5. — cfer (Luciani) Encom. Dem. § 31.

4. Ps. Plutarch. p. 846. *ἐλθόντος δ' ἐπ' αὐτὸν Ἀρχίου τοῦ Φυγαδοθήρου ἐπικαλουμένου, ὃς παρέβαλεν Ἀναξιμένει τῷ ῥήτορι, πείθοντος αὐτὸν ἀναστῆναι, ὡς φίλον Ἀντιπάτρῳ γενησόμενον, εἶπεν ὅτι· οὔτε ὅτε ἐτραγῴδεις ἔπειθές με οὔτε νῦν πείσεις συμβουλεύων· τοῦ δ' ἐπιχειροῦντος βιάζεσθαι ἐκώλυσαν οἱ κατὰ τὴν πόλιν καὶ Δημοσθένης ἔφη· Οὐ σωτηρίας δεόμενος κατέφυγον εἰς Καλαβρίαν* (l. *Καλαύρειαν* cf. Strabo p. 374) *ἀλλ' ὡς ἐλέγξων Μακεδόνας καὶ κατὰ τῶν θεῶν βιασαμένους, αἰτήσας τε γραμματεῖον, ἔγραψεν, ὡς μὲν Δημήτριος ὁ Μάγνης φησί, τὸ ἐπὶ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ ἐλεγεῖον ἐπιγεγραμμένον ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ὕστερον·*

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, ἔσχες,
Οὔ ποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.

κεῖται δ' εἰκών (l. *δ' ἡ εἰκὼν*) *πλησίον τοῦ περισχοινίσματος καὶ τοῦ βωμοῦ τῶν δώδεκα θεῶν ὑπὸ Πολυεύκτου πεποιημένη. ὡς δ' ἔνιοί φασι τοῦτο εὑρέθη γεγραμμένον· Δημοσθένης Ἀντιπάτρῳ χαίρειν.* — cf. Photius cod. 265 p. 494 B. et cod. 266 p. 495 in.

Ps. Plutarchus maxime in ceteris secutus est Demetrium Magnetem, cuius quoque vestigia premit dicens, *Ἀρχίου, ὃς παρέβαλεν Ἀναξιμένει τῷ ῥήτορι*, ut apparet ex ipso Plutarcho, qui novum exemplum praebet Demetrium ab Hermippo interdum dissensisse:

5. Plutarch. Dem. c. 28. *Ἄλλων δ' ἀλλαχοῦ* (l. *ἀλλαχόσε*) *διασπαρέντων ὁ Ἀντίπατρος περιέπεμπε τοὺς συλλαμβάνοντας, ὧν ἡγεμὼν ἦν Ἀρχίας ὁ ἐπικληθεὶς Φυγαδοθήρας. Τοῦτον δὲ Θούριον ὄντα τῷ γένει λόγος ἔχει τραγῳδίας ὑποκρίνεσθαί ποτε καὶ τὸν Αἰγινήτην Πῶλον, τὸν ὑπερβαλόντα τῇ τέχνῃ πάντας, ἐκείνου γεγονέναι μαθητὴν ἱστοροῦσιν. Ἕρμιππος δὲ τὸν Ἀρχίαν ἐν τοῖς Λακρίτου τοῦ ῥήτορος μαθητὴν ἀναγράφει, Δημήτριος δὲ τῆς Ἀναξιμένους διατριβῆς μετεσχηκέναι φησὶν αὐτόν.*

Mullerus F. H. Gr. II 368 hunc Plutarchi locum inter Demetrii Phalerei fragmenta posuit, idem (IV. 382) eundem locum

ut Demetrii Magnetis indicavit, et hoc unum recte se habet: Plutarchus per Δημήτριος hic nullum nisi Magnetem, quem modo laudaverat, significat, quod Pseudo-Plutarchi, apud quem solus Demetrius Magnes testis citatur, verba de Archia et Anaximene confirmant. — De Archia confer. Muller. F. H. Gr. III 50.

Demosthenis mortem narraverunt Demochares, eius propinquus (Muller. F. H. Gr. II 448), Philochorus, Satyrus, Eratosthenes et πάμπολλοι, quorum discrimina iam Plutarchus (Dem. 30) componere desperavit. Ut Phocionis mors ad Socratis exemplum narratur, sic Demosthenis verba *οὐ σωτηρίας δεόμενος κατέφυγον εἰς Καλαύρειαν, ἀλλ' ὡς ἐλέγξων Μακεδόνας καὶ κατὰ* (Phot. *καὶ τὰ*) *τῶν θεῶν βιασαμένους*, in memoriam revocant illa Theramenis (Xen. Hell.). Haec omnia et acerba illa Demosthenis dicta in Archian, quae Plutarchus Dem. 29. fidenter narrat, in traditionum numero sunt habenda; sed fidem superat Demosthenem ea tempestate epigramma in se ipsum scripsisse; quid autem Demetrium Magnetem impulerit, ut haec traderet, dicere iam difficile; quamquam in hac difficultate testium non idcirco Demetrio ingenium obtusum tribuimus, tamen quicunque in tanta caligine neque inepte laudare neque carpere aliquem velit, is non temere obloquetur Plutarcho Dem. 30 dicenti: „*Οἱ γὰρ αὐτὸν τὸν Δημοσθένην τοῦτο (τὸ ἐπίγραμμα) ποιῆσαι λέγοντες ἐν Καλαυρείᾳ μέλλοντα τὸ φάρμακον προςφέρεσθαι, κομιδῇ φλυαροῦσιν.*

ΔΙΟΓΕΝΕΙΣ.

Diogenes L. VI. 81. *Γεγόνασι δὲ Διογένεις πέντε· πρῶτος, Ἀπολλωνιάτης, φυσικός· ἀρχὴ δ' αὐτῷ τοῦ συγγράμματος ἥδε· „Λόγου παντὸς ἀρχόμενον δοκέει μοι χρεὼν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι". δεύτερος ὁ Σικυώνιος, ὁ γράψας (γεγραφὼς?) τὰ περὶ Πελοπόννησον· τριτὸς αὐτὸς οὗτος· τέταρτος στωικός, γένος Σελευκεύς, ὁ καὶ Βαβυλώνιος καλούμενος διὰ τὴν γει-*

τονίαν· πέμπτος Ταρσεύς, γεγραφὼς περὶ ποιητικῶν ζητημάτων ἃ λύειν ἐπιχειρεῖ.

πρῶτος, Ἀπολλωνιάτης. Diogenes Laërtius postea in libro IX. 57. breviter Apolloniatae vita narrata, plenius ex Demetrio Magnete, nomine non apposito, exscripsit initium Apolloniatae operis; habet: ἀρχὴ δὲ αὐτῷ τοῦ συγγράμματος ἥδε· „Λόγου παντὸς ἀρχόμενον δοκέει μοι χρεὼν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι, τὴν δ' ἑρμηνείαν ἁπλῆν καὶ σεμνήν." et supple τὴν μὲν ἀρχήν.

τρίτος αὐτὸς οὗτος. scil. Diogenes Sinopensis, ὁ κύων. Diogenes L. VI. 79 Δημήτριος δ' ἐν τοῖς Ὁμωνύμοις φησὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας Ἀλέξανδρον μὲν ἐν Βαβυλῶνι, Διογένην δ' ἐν Κορίνθῳ τελευτῆσαι. Vide auctores laudatos a Clintono F. H. a°. 323.

τέταρτος· στωικός, γένος Σελευκεύς, ὁ καὶ Βαβυλώνιος καλούμενος διὰ τὴν γειτονίαν.

Postrema verba διὰ τὴν γειτονίαν, quae in Florentinis membranis Menagius ait desiderari, abiicienda sunt; notum enim erat, qui quis Seleucia oriundus diceretur Babylonius, et eadem commutatio non infrequens fuit, v. c. Strabo p. 6. refutat Hipparchum, qui usus erat teste Σελεύκῳ τῷ Βαβυλωνίῳ, idem hic est Σέλευκος, quem ex Posidonio Strabo p. 174 affert, et quem p. 739 inter ἀξιλόγους in Babylonia natos viros recensuit his verbis: „καὶ Σέλευκος δ' ὁ ἀπὸ τῆς Σελευκείας Χαλδαῖος".

Occurrit apud Athenaeum p. 211 a. Διογένης ὁ Ἐπικούρειος, qui τὸ μὲν γένος ἦν ἐκ Σελευκείας, τῆς ἐν Βαβυλῶνι, quique non displicebat Alexandro Balae, Syriae regi. Sed nunquam fuit Diogenes Epicureus, Seleucia oriundus, quod aio nisus auctoritate Demetrii Magnetis, et alto silentio ceterorum, quibus omnibus iste homo inauditus est. Athenaeus plus trecentis annis post Alexandrum Balam scribens testem neminem laudat, nisi se ipsum, in libro περὶ τῶν ἐν Συρίᾳ βασιλευσάντων. An Athenaeus Stoicum Babylonium cum Tar-

sensi Epicureo confuderit, licet in neutrum haec ab Athenaeo tradita facile cadant, forte liqueret si Posidonii opus superesset, cuius operis fragmentis haec historiola, ex Athenaei penu profecta, media interposita legitur.

Ne Diogenem Oenomaum tragicum quidem exstitisse confirmat idem Demetrius Magnes. vide Bähr. Paulii Thes. II. p. 1042.

Hic non visitur Demetrio iunior Diogenes grammaticus, Tiberio aequalis. (Suet. Tiber 32).

ΔΙΟΤΙΜΟΙ.

Ὁμωνύμους scriptores vide in Ionsio II, 15. 4 et in Paulii Thes. II. v. Diotimus.

Diotimus Stoicus.

Athenaeus p. 611. Εἰκότως οὖν πολλαὶ τῶν πόλεων καὶ μάλιστα ἡ Λακεδαιμονίων, ὡς Χαμαιλέων φησὶν ἐν τῷ περὶ Σιμωνίδου, οὐ προςίενται οὔτε ῥητορικὴν οὔτε φιλοσοφίαν διὰ τὰς ἐν τοῖς λόγοις ὑμῶν (scil. τῶν φιλοσόφων) φιλοτιμίας καὶ ἔριδας καὶ τοὺς ἀκαίρους ἐλέγχους, δι' οὓς Σωκράτης μὲν ἀπέθανεν, ἀπέθανε δὲ διὰ ταῦτα καὶ Θεόδωρος ὁ ἄθεος καὶ Διαγόρας ἐφυγαδεύθη· ὅτε καὶ πλέων ναυαγίᾳ ἐχρήσατο· Διότιμος δ' ὁ γράψας τὰ κατ' Ἐπικούρου βιβλία ὑπὸ Ζήνωνος τοῦ Ἐπικουρείου ἐξαιτηθεὶς ἀνῃρέθη, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς Ὁμωνύμοις.

Ionsius pro vitioso Θεότιμος Athenaeo reddidit Διότιμος ex Diogene Laërtio. Hic solus praeter Athenaeum historiam de Diotimo attingens, in Epicuri vita (X. 3) sic loquitur: Διότιμος δ' ὁ στωικὸς δυσμενῶς ἔχων πρὸς αὐτὸν (scil. τὸν Ἐπίκουρον) πικρότατα αὐτὸν διαβέβληκεν ἐπιστολὰς φέρων πεντήκοντα ἀσελγεῖς ὡς Ἐπικούρου. Zeno Epicureus is est, quem Cicero a° 79 Athenis docentem audivit (Clinton. F. H. a. 79) et Demetrius ut aetate sibi proximum inter Zenones novissimum posuit his verbis: „Σιδώνιος τὸ γένος, φιλόσοφος Ἐπικούρειος, καὶ νοῆσαι καὶ ἑρμηνεῦσαι σαφής. — Non omnem fidem nar-

rationi de Diotimo impostore habet Luzacius in Lect. Att. p. 153 seq. miraturque fraudem istam Diotimi et a Cicerone, cui Epicureae Epistolae frequenter fuerint observatae, quique Epicurum reprehenderit, et a Seneca ignoratam fuisse. Verum non adeo mirum, si Seneca Stoicus Diotimi Stoici facinus aequalibus suis non narraverit. Quod Cicero id ignoraverit, licet eum ignorasse demonstrari posset, tamen ex huius silentio non multum conficiendum erit: ne dicam Ciceronem, scribendi ardore captum, omnes illos libros philosophicos aliaque permulta intra breve temporis spatium conscripsisse (cf. Clinton. F. H. a°. 45. 44. Fischer, Röm. Zeittaf. ibid.) et non omnia adeo diligenter, saepius eadem bis vel ter, vulgata plerumque, non vero abscondita retulisse, neque aliquot tantum locos de industria pertractasse, sed in omnes partes e memoria scribere solitum, evolavisse; tamen Cicero id egit, ut de philosophorum placitis et systematis dissereret, non vero ut historiolas et narrationes ad eos pertinentes dedita opera indagaret, nedum quid in his verum esset nec ne, diiudicaret et constitueret. Talia parum ei curae erant, testimonia promiscue ibi quoque adhibuit, ubi de eorum fide controversias esse sciebat. Hoc ipsum in libris, Epicuri nomine circumlatis, obtinet; Cicero enim non ignarus litem de his esse actam, nihilominus iis usus est. Ait Cicero de Fin. II. 25: „tamen si haec vera essent, nihil enim adfirmo," et de Fin. II. 30, locutus de Epicuri epistola ad Hermarchum: „sed quid tibi dicendum sit, oblitus es, Epicure, primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est si vera sunt tua scripta et inventa." Eadem ratione Cicero fabellam de Democrito narrabat de Fin. V. 29: „cur Pythagoras — tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui (vere falsone, ne quaeramus) dicitur oculis se privasse: certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur; patrimonium neglexit — quid quaerens aliud nisi beatam vitam?" Luzacius dixit Ionsium ex loco de Fin. II. 25. effecisse Ciceroni

suboluisse Diotimi dolum; quod falsum, nam Ionsius (I. 20. 2) in universum tantum locutus, scripsit Epicuro quaedam fuisse supposita eumque dolum Ciceroni suboluisse. Praeterea Luzacius p. 154 miratur, Zenonem in caput adversarii ultimum supplicium derivasse, cuius Zenonis mitis ac placida indoles vel ex eo se prodiderit, quod Socratem scurram Atticum fuisse dixerit. Qui vero Luzacius, in tota re de Diotimo nimis suspicax, ex Ciceronis verbis (Nat. D. I. 34) Zenonis mite ingenium cognoverit, non exputo; Cicero enim scripsit haec: „Zeno quidem non eos solum qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceteros figebat maledictis, sed Socratem ipsum parentem philosophiae, Latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat, Chrysippum nunquam nisi Chesippum vocabat." Et idem Zeno, homines maledictis figere solitus, quum a Cicerone, Tusc. Qu. III. 17 dictus fuerit acriculus ille senex, nescio an ex Ciceronis quidem opinione tam alienus fuerit a vindicta de Diotimo, adversario suo, sumenda. (cf. Wagenmann. in Paulii Thes. v. Zeno VI p. 2834) Ceterum quum Luzacius recte viderit, Ciceronem nullibi Diotimum aut lascivas illas epistolas, a Diogene L. ei tributas, memorare, mirum est eum, in reliquis copiosum sane, non addidisse, aliquantulum inter se discrepare Diogenem et Athenaeum; Athenaeus enim non de epistolis a Diotimo Epicuro suppositis locutus est, sed ex Demetrio Magnete scripsit *Διότιμος τὰ κατ' Ἐπικούρου βιβλία γράψας.*

E.

ΕΠΙΚΟΥΡΟΙ.

1. Epicurus Atheniènsis.

Diogenes L. X. 13. *Δημήτριος δέ φησιν ὁ Μάγνης καὶ Ξενοκράτους αὐτὸν ἀκοῦσαι.*

Ut Epicurus sic Heraclitus Ephesius et Xenophanes Colophonius

se praedicabant *αὐτοδιδάκτους* (Diogenes L. IX. 5 et 18). Et alii et Heraclides in Sotionis epitome (Diogenes L. X. 1) scripserunt Epicurum, duodevicesimum aetatis annum agentem, Athenas venisse, quo tempore Xenocrates in Academia, Aristoteles in Chalcide scholas habebant. Cicero Nat. Deor. I. 26 postquam suaviter Epicurum riserat, qui gloriaretur se magistrum habuisse nullum, ita pergit: „Xenocratem audire potuit: et sunt qui putent audivisse; ipse non vult." cf. supra p. 19, et Euseb. Pr. Ev. XIV. p. 768.

Diogenes L. X. 26. *Ἦσαν δὲ καὶ ἄλλοι Ἐπίκουροι τρεῖς, ὅ τε Λεοντέως υἱὸς καὶ Θεμίστας, ἕτερος Μάγνης, τρίτος ὁπλομάχος.*

ὅ τε Λεοντέως υἱὸς καὶ Θεμίστας. Leonteum, huius Epicuri patrem non dubito quin idem sit atque is, quem Epicuri philosophi amicum fuisse dicit Strabo p. 599: „*καὶ αὐτὸς δὲ Ἐπίκουρος* (scil. philosophus) *τρόπον τινὰ Λαμψακηνὸς ὑπῆρξε, διατρίψας ἐν Λαμψάκῳ* (Epicurus ibi per complures annos docuit, Diog. L. X. 15) *καὶ φίλοις χρησάμενος τοῖς ἀρίστοις τῶν ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, τοῖς περὶ Ἰδομενέα καὶ Λεοντέα.*" Leonteus eiusque uxor Themista, ad quam Epicurus epistolam dedit (Diog. L. X. 5) inter Epicuri discipulos cum aliis Lampsacenis fuerunt (Diog. L. X. 25); illi admirati et diligentes Epicurum philosophum, ab eo filium suum cognominaverint, eiusque exemplo ad philosophiae studium impulerint.

ὁπλομάχος. Auctores *τακτικῶν* et *ὁπλομάχους*, qui de arte sua scripsere, ex Platone, Xenophonte aliisque affert Gräfenhan. I. 308 seqq.

ΕΠΙΜΕΝΙΔΑΙ.

1. Epimenides Cretensis.

Diogenes L. I. 114, *φησὶ δὲ Δημήτριος τινὰς ἱστορεῖν, ὡς λάβοι παρὰ νυμφῶν ἔδεσμά τι καὶ φυλάττοι ἐν χηλῇ βοός. προςφερόμενός τε κατ' ὀλίγον μηδεμιᾷ κενοῦσθαι ἀποκρίσει μηδὲ ὀφθῆναί ποτε ἐσθίων.*

Ibid. 112. *Φέρεται δ' αὐτοῦ καὶ ἐπιστολὴ πρὸς Σόλωνα τὸν νομοθέτην, περιέχουσα πολιτείαν ἣν διέταξε Κρησὶ ὁ Μίνως. ἀλλὰ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων διελέγχειν πειρᾶται τὴν ἐπιστολὴν ὡς νεαρὰν καὶ μὴ τῇ Κρητικῇ φωνῇ γεγραμμένην, 'Ατθίδι δὲ καὶ ταύτῃ νέᾳ.*

ibid. 115. *Γεγόνασι δὲ καὶ 'Επιμενίδαι ἄλλοι δύο, ὅ τε γενεαλόγος καὶ [τρίτος] ὁ Δωρίδι γεγραφὼς περὶ 'Ρόδου.*

Confer Westerm. ad Voss. H. Gr. p. 7 et 438, et fragmenta *τῆς γενεαλογίας* apud Muller. F. H. Gr. IV. 404 seq.

ΕΥΔΟΞΟΙ.

Diogenes L. VIII. 90. *Γεγόνασι δ' Εὔδοξοι τρεῖς· αὐτὸς οὗτος· ἕτερος 'Ρόδιος ἱστορίας γεγραφώς· τρίτος Σικελιώτης παῖς 'Αγαθοκλέους, ποιητὴς κωμῳδίας, νίκας ἑλὼν ἀστικὰς μὲν τρεῖς, Ληναϊκὰς δὲ πέντε, καθά φησιν 'Απολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς.*

Eudoxus Rhodius, historicus, quando vixerit ignoratur. cf. Voss. H. Gr. p. 59 W. Muller. F. H. Gr. IV. 407 seq.

Eudoxus Siculus fuit novae comoediae poëta. cf. Meineke H. C. C. Gr. p. 492.

Fuit praeterea Eudoxus Cyzicenus, celeber navigator tempore Ptolemaei Physconis et Lathyri, de quo Eudoxo multa narrabat Posidonius et postea Nepos (Plinius N. H. II. p. 174 B). Strabo p. 99—103 conatus eius itinera refutare, eum Libyam circumnavigasse negavit. At Gräfenhanius II. 159 ait hunc Eudoxum, quae in longinquis suis erroribus vidisset, ea magno opere conscripsisse, quo opere Strabo usus fuisset. Num igitur Demetrio Magneti Eudoxus Cyzicenus ut se natu maior, inter *ὁμωνύμους* fuisset recensendus? Eudoxus ille nihil conscripsit, neque illum Strabo refellere potuit; Gräfenhanius vero Strabonem inspiciens credidit hunc, ubi dicit *φησί*, refutare Eudoxum, ubi revera refutabat Posidonium. Ante Gräfenhanium Vossius H. Gr. p. 59 W. et Ukertus Geogr. I. p. 141. recte de Eudoxo Cyziceno scripsere.

Z.

ΖΗΝΩΝΕΣ.

Diogenes L. VII. 35. *Γεγόνασι δὲ Ζήνωνες ὀκτώ· πρῶτος ὁ Ἐλεάτης, (περὶ οὗ λέξομεν)· δεύτερος, αὐτὸς οὗτος· τρίτος, Ῥόδιος τὴν ἐντόπιον γεγραφὼς ἱστορίαν ἑνιαίαν· τέταρτος, ἱστορικὸς τὴν Πύρρου γεγραφὼς στρατείαν εἰς Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπιτομὴν τῶν πεπραγμένων Ῥωμαίοις τε καὶ Καρχηδονίοις· πέμπτος, Χρυσίππου μαθητής, βιβλία μὲν ὀλίγα γεγραφώς, μαθητὰς δὲ πλείστους καταλελοιπώς· ἕκτος ἰατρὸς Ἡροφίλειος, νοῆσαι μὲν ἱκανός, γράψαι δ' ἄτονος· ἕβδομος, γραμματικὸς οὗ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ ἐπιγράμματα φέρεται· ὄγδοος Σιδώνιος τὸ γένος, φιλόσοφος Ἐπικούρειος καὶ νοῆσαι καὶ ἑρμηνεῦσαι σαφής.*

πρῶτος ὁ Ἐλεάτης. Diogenes L. IX. 26—27. *καθελεῖν δὲ θελήσας Νέαρχον τὸν τύραννον — οἱ δέ, Διομέδοντα — συνελήφθη, καθά φησιν Ἡρακλείδης ἐν τῇ Σατύρου ἐπιτομῇ. ὅτε καὶ ἐξεταζόμενος τοὺς συνειδότας καὶ περὶ τῶν ὅπλων ὧν ἦγεν εἰς Λιπάραν, πάντας ἐμήνυσεν αὐτοῦ τοὺς φίλους, βουλόμενος αὐτὸν ἔρημον καταστῆσαι· εἶτα περί τινων εἰπὼν ἔχειν τινὰ εἰπεῖν αὐτῷ πρὸς τὸ οὖς ἔλεγε καὶ κύψαντος δακὼν τὸ ὠτίον οὐκ ἀνῆκεν ἕως ἀπεκεντήθη, ταὐτὸν Ἀριστογείτονι τῷ τυραννοκτόνῳ παθών. Δημήτριος δέ φησιν ἐν τοῖς ὁμωνύμοις τὸν μυκτῆρα αὐτὸν ἀποτραγεῖν.*

Heraclidis Lembi sive Satyri verba Latine vertit Valerius Max. III. 3. 3 e.

δεύτερος, αὐτὸς οὗτος. scil. *ὁ Κιτιεύς, ὁ στωικός.*

Diogenes L. VII. 31. *φησὶ δὲ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς ὁμωνύμοις τὸν πατέρα αὐτοῦ Μνασέαν πολλάκις ἅτ' ἔμπορον Ἀθήναζε παραγίγνεσθαι καὶ πολλὰ τῶν Σωκρατικῶν βιβλίων ἀποφέρειν ἔτι παιδὶ ὄντι τῷ Ζήνωνι, ὅθεν καὶ ἐν τῇ πατρίδι συγκεκροτῆσθαι καὶ οὕτως ἐλθόντα εἰς Ἀθήνας Κράτητι παραβαλεῖν.*

δοκεῖ δέ, φησί, καὶ τὸ τέλος αὐτὸς ὁρίσαι τῶν πλανωμένων περὶ τὰς ἀποφάσεις.

τρίτος, Ῥόδιος τὴν ἐντόπιον ἱστορίαν γεγραφὼς ἐνιαίαν. De Zenone Rhodio πολιτικῷ συγγραφεῖ Polybii coaetaneo vide adnotata ad Antisthenem Rhodium et Mullerum F. H. Gr. III. 174. — ἐνιαίαν: codices Florentini, teste Menagio habent ἐν νέα. Suida ἐνίαια explicante per μοναδικὴ, Casaubonus pro vulgari ἐνιαίαν reposuit ἐνιαίαν, ut nunc in Didotiana editione legitur, i. e. historiam singularem, sive singulari volumine contentam. Quod quum parum probaretur Mullero, ei magis arridebat Menagii coniectura ἐν ἰα' legentis. Verum Menagius non vidit ab ἐν ἰα' abesse non posse voc. βιβλίοις et parum curabat depravata ἐν νέα, quod non potest corruptum esse ex ἐν ἰα'; longe peritius egerat Casaubonus. Post hunc Mullerus proposuit ἐνιαυσιαίαν, quod Valesius coniicere occupavit. Zeno, ait Mullerus, ita narrationes digesserit, ut comprehenderit res quae uno eodemque anno evenerunt, et addit ἐνιαύσιοι dici Annales, adiectivaque ἐνιαύσιος et ἐνιαυσίαιος promiscue usurpari. Quum vero ἐνιαύσιος Attica forma est, in ἐνιαίαν potius latebit ἐνιαυσίαν, cf. Phrynich. p. 362 Lob.

πέμπτος. Zeno Tarsensis non inepte a Demetrio dicitur multos quidem discipulos habuisse, paucos vero libros conscripsisse; hoc enim notatu dignum in discipulo Chrysippi Stoici, quocum solus Epicurus de quantitate conscriptorum librorum certare potuit. Ceterum Demetrius, cui γεγραφὼς scribere licuit, cur pro καταλιπὼν maluerit dare καταλελοιπὼς dicere difficile; de eiusmodi κακοζηλίᾳ vide Quinctil. I. O. VIII. 700. B.

Zeno Tarsensis discipulus et in schola successor Chrysippi fuit a° 207, ut demonstravit Lyndenius, vel potius Wyttenbachius in dissertat. de Panaetio Rhodio p. 13—16. Stoicorum dogma erat rerum naturam igni concrematum iri; hic vero Zeno in eorum erat numero, qui ea de re malebant ἐπισχεῖν, quod narratur in Eusebio P. E. XV. 18. Clintonus F. H. III. a. 207

Eusebium hoc narrare dicit ex Numenio, et eundem errorem erravit, ob quem Bruckerum castigaverat Wyttenbachius (de Panaet. p. 157), ostendens Arium Didymum, sed non Numenium ab Eusebio laudari.

ἕκτος, ἰατρὸς Ἡροφίλειος. Eum Galenus (VIII. 736 ed. Kuhn) *οὐδενὸς δεύτερον τῶν Ἡροφιλείων* dicit; natu maior Heraclida Tarentino (Galen. XVII. A 619 K.) et Aristoxeno Herophileo (Gal. VIII. 738 K.), ipsius Herophili fuit discipulus. cf. Fabric. B. Gr. XIII. 454, Sprengel, Gesch. der Arzn. I. p. 590. De hoc medico et de subsequente grammatico, Zenone Myndio, recte scriptum est apud Menagium ad h. l., qui sua habebat ex Casaubono et Ionsio I. p. 139.

Zeno Laodicensis, *ῥήτωρ*, qui hic non visitur (Strabo p. 578 et 660) demonstrat, non solum nos in Demetrii *ὁμωνύμων* catalogis versari, sed idem disertus testis est, a Demetrio eos fuisse praetermissos aut ignoratos, qui ad pugnam Actiacam aetatem suam produxerunt.

ὄγδοος, Σιδώνιος. De eo vide ad *Διότιμοι.*

Solus Suidas habet Zenonem quemdam Sidonium, Diodori, Croni vulgo dicti (Strabo 658, 838), discipulum, praeceptorem Zenonis Citiensis, Stoicorum principis. Vossius H. Gr. p. 141 W. miratus est, istum Zenonem Sidonium Stoicum Diogeni Laërtio, ut credebat Vossius, indictum esse, et idem vidit, quam absurde sectae Stoicae conditor dicatur usus fuisse praeceptore Stoico; id etsi non concoquebat, tamen in eo acquiescebat Vossius; item haerebant Ionsius I. p. 139 et Mullerus F. H. Gr. III. 174. Contra recte Wagenmannus in Paulii Thes. VI. p. 2833 suspicatus est, Zenonem istum Sidonium Stoicum ex nullo alio nisi ex Suida patre genitum fuisse, qui Zenonem Epicureum Sidonium et Zenonem Tarsensem Stoicum, interdum et ipsum falso Sidonium dictum, confudisset. Haec ita se habere, confirmat auctoritas Demetrii Magnetis, qua quidem Wagenmannus non usus est, contra in simili re egregie usus est Wyttenba-

chius de Panaet. p. 15, demonstrans Zenonem, Chrysippi successorem, eundem fuisse atque Zenonem Tarsensem.

H.

ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΙ.

Diogenes L. V. 93. *Γεγόνασι δ' Ἡρακλεῖδαι τεσσαρεσκαίδεκα· πρῶτος αὐτὸς οὗτος· δεύτερος πολίτης αὐτοῦ, πυρρίχας καὶ φλυαρίας συντεταγμένος· τρίτος, Κυμαῖος γεγραφὼς Περσικὰ ἐν πέντε βιβλίοις· τέταρτος Κυμαῖος ῥήτωρ τέχνας γεγραφώς· πέμπτος, Καλλατιανὸς (l. Καλακτῖνος) ἢ Ἀλεξανδρεύς, γεγραφὼς τὴν διαδοχὴν ἐν ἓξ βιβλίοις καὶ Λεμβευτικὸν λόγον, ὅθεν καὶ Λέμβος ἐκαλεῖτο· ἕκτος Ἀλεξανδρεὺς γεγραφὼς τὰ Περσικὰ ἰδιώματα· ἕβδομος, διαλεκτικὸς Βαργυλιήτης, κατ' Ἐπικούρου γεγραφώς· ὄγδοος ἰατρὸς τῶν ἀπὸ Ἱκεσίου· ἔνατος ἰατρὸς Ταραντῖνος ἐμπειρικός· δέκατος ποιητικός, Παραινέσεις γεγραφώς· ἑνδέκατος ἀνδριαντοποιὸς Φωκαεύς· δωδέκατος ἐπιγραμμάτων ποιητὴς λιγυρός· τρισκαιδέκατος Μάγνης, Μιθριδατικὰ γεγραφώς· τεσσαρεσκαιδέκατος ἀστρολογούμενα γεγραφώς.*

πρῶτος, αὐτὸς οὗτος. **Diogen. L. V. 89.** *Δοκεῖ δὲ καὶ τὴν πατρίδα τυραννουμένην ἐλευθερῶσαι τὸν μόναρχον κτείνας, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν ὁμωνύμοις. ὃς καὶ τοιόνδε ἱστορεῖ περὶ αὐτοῦ· „θρέψαι αὐτὸν δράκοντα ἐκ νέου καὶ αὐξηθέντα, ἐπειδὴ τελευτᾶν ἔμελλε, κελεῦσαί τινι τῶν πιστῶν αὐτοῦ τὸ σῶμα κατακρύψαι, τὸν δὲ δράκοντα ἐπὶ τῆς κλίνης θεῖναι, ἵνα δόξειεν εἰς θεοὺς μεταβεβηκέναι. ἐγένετο δὲ πάντα· καὶ μεταξὺ παραπεμπόντων Ἡρακλείδην τῶν πολιτῶν καὶ εὐφημούντων, ὁ δράκων ἀκούσας τῆς ἐπιβοῆς ἐξέδυ τῶν ἱματίων καὶ διετάραξε τοὺς πλείστους. ὕστερον μέντοι ἐξεκαλύφθη πάντα καὶ ὤφθη Ἡρακλείδης οὐχ οἷος ἐδόκει, ἀλλ' οἷος ἦν.“ — ταῦτα δέ φησι καὶ Ἱππόβοτος.*

ὁ μόναρχος fuit Clearchus, ab iis qui favebant optimatum par-

tibus, quibus igitur superbus Heraclides annumerandus erit, interfectus a° 353. cf. Diod. Sic. XVI. 53. Demetrius sua haurire potuit ex Theopompo Chio (Athen. p. 85) aut ex Nymphide, Heraclidae cive. Nymphidem diu post secutus est Memnon, qui, ait Mullerus F. H. Gr. III. 525, (de Nymphide vide ibidem p. 12 seqq.) primo vel ineunte secundo saeculo post Chr. n. vixerit, et cuius amplum opus de Heraclea Pontica iam non integrum habebat Photius Patriarcha. Ex uno autem Demetrio novimus Heraclidam inter coniuratos fuisse videri. De re cf. Grote H. of. Gr. XII. p. m. 464. et Roulez de Heracl. Pont. p. 11 ssq., hic, aliud agens, scripsit Diogenem testem excitare Dionysium ἐν ὁμωνύμοις; eodem modo Demetrius Magnes et Dionysius Magnes, Ciceronis familiaris, confusi sunt in Thesauro, quem ediderunt Ersch. et Gruber, v. Dem. Magnes.

De Heraclidae morte aliam fabulam narrat Hermippus (Diog. L. V. 91). Hippobotus utrum Demetrio iunior an antiquior fuerit, parum liquet; Nymphide et Theopompo certe posterior, scripsit περὶ αἱρέσεων φιλοσόφων et a Mullero omissus est; cf. Voss. H. Gr. p. 455 W.

Nomen Heraclides, ut Dionysius, Theodorus, Demetrius, Apollonius, adeo commune fuit, ut praeter quatuordecim, Demetrio natu maiores, plures alii eo iuniores Heraclidae occurrant. De variis varii egerunt. Pleraque eorum quae Vossius, Ionsius, Fabricius scripserunt, collegit Roulez p. 106 seqq.; de Heraclide Lembo egit Mullerus F. H. Gr. III. 167 seqq. Geogr. Min. I p. LIV—LIX. — Ne ἀσύμβολος hinc abeam, notabo haec: Heraclides Ponticus, ordine hic secundus, ὁ πυρρίχας καὶ φλυαρίας συντεταγμένος a recentioribus idem solet haberi atque Heraclides Ponticus, qui Λέσχας scripsit. Illi vero tum in temporum rationem, tum in Graecitatem peccaverunt, nam Heraclides Ponticus alter, quem novit Demetrius Magnes, non potest idem esse atque ὁ λεσχηνευτής, qui Didymi aequalis ad Claudii Neronisque principatum vixisse traditur. (Suid. v. Ἡρακλείδης) Illi,

qui in tempora tantum peccabant, modo scivissent Demetrium Magnetem, non vero Diogenem Laërtium hunc Heraclidarum catalogum confecisse, valde mirati essent, qui fieri potuerit, ut Athenaeus p. 649 Heraclidem diceret λεσχηνευτήν, minime tamen indicaret, idem opus Λέσχας inscribi et πυρρίχας aut φλυαρίας dici, praesertim quum Athenaeus Demetrii opere usus fuit. Meinekius (Anal. Alex. p. 381) postquam egregie de grammatici Heraclidis Λέσχαις grammatico opere, versibus conscripto, disseruit, intellexit, parum constare Λέσχας et Φλυαρίας idem opus esse habendum, et, licet ignarus auctoris catalogorum in Diogene servatorum, caute scripsit: „praeterea Heraclidis Leschae a nemine quantum scimus commemorantur, nisi quod Diogenes Laërtius V. 88 idem opus sub nomine Φλυαριῶν laudare putatur." Cf. Artemidori On. I p. 445 ed. Reiff.

ὄγδοος· ἰατρὸς τῶν ἀπὸ Ἱκεσίου. Halucinati credebant hunc Heraclidam esse eundem quem Strabo p. 645 memorat: „*ἐκ δ' Ἐρυθρῶν καθ' ἡμᾶς Ἡρακλείδης Ἡροφίλειος ἰατρός, συσχολαστὴς Ἀπολλωνίου τοῦ Μυός.* Quum Demetrii Magnetis hos esse catalogos nescirent et viderent Hicesium (cf. Sprengel. Gesch. der Arzn. I. 603) nobilissimum fuisse Erasistrateum, temere pro *ἀπὸ Ἱκεσίου* reponebant *ἀπὸ Ἡροφίλου*, neque intelligebant, quum Herophilus celeberrimae Sectae conditor esset, eius sectatores omnes Ἡροφιλείους dici, et si forte quis diceretur *ἀπὸ Ἡροφίλου* esse, nonnisi ipsius Herophili discipulum ita vocari posse; verum nemo sic loquebatur et Zeno, ut hoc utar, Herophili discipulus, sicut ceteri, dicebatur Ἡροφίλειος. Hicesius complures annos ante Strabonem natum mortuus est (Strabo p. 580) et forte ne eius discipulus quidem Geographi infantiam attigerit.

ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΙ.

Diogenes L. IX. 17. *Γεγόνασι δ' Ἡράκλειτοι πέντε· πρῶτος αὐτὸς οὗτος· δεύτερος, ποιητὴς λυρικός, οὗ ἐστι τῶν* (l. *τὸ*

τῶν) δώδεκα θεῶν ἐγκώμιον· τρίτος, ἐλεγείας ποιητὴς Ἁλικαρνασεύς, εἰς ὃν Καλλίμαχος πεποίηκεν οὕτως·

Εἶπέ τις, Ἡράκλειτε, τεὸν μόρον, ἐς δ' ἐμὲ δάκρυ
ἤγαγεν, ἐμνήσθην· δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι
ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν· ἀλλὰ σὺ μέν που,
ξεῖν' Ἁλικαρνασεῦ, τετράπαλαι σποδιή·
αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων
ἁρπακτὴς Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.

τέταρτος Λέσβιος, ἱστορίαν γεγραφὼς Μακεδονικήν· πέμπτος σπουδογέλοιος, ἀπὸ κιθαρῳδίας μεταβεβηκὼς εἰς τόδε τὸ εἶδος.

πρῶτος αὐτὸς οὗτος. scilicet Heraclitus Ephesius. Diogenes L. IX. 15: Δημήτριος δέ φησιν ἐν τοῖς ὁμωνύμοις καὶ Ἀθηναίων αὐτὸν ὑπερφρονῆσαι δόξαν ἔχοντα παμπλείστην, καταφρονούμενον θ' ὑπὸ τῶν Ἐφεσίων ἑλέσθαι μᾶλλον τὰ οἰκεῖα.

τρίτος. Aequalis et amicus Callimachi, ut huius notum epigramma docet et Strabo p. 656 confirmat, qui ἀξιολόγους Ἁλικαρνασέας recensens scripsit: „καὶ Ἡράκλειτος ὁ ποιητὴς ὁ Καλλιμάχου ἑταῖρος.".

τέταρτος. Ne hic quidem aliunde notus. cf. Mull. F. H. Gr. IV. 426 et Voss. H. Gr. p. 449 W.

πέμπτος. Ubi natus fuerit, quando vixerit et post quodnam tempus hic citharoedus seria iocis miscuerit, unus Athenaeus p. 538 docet, insigne fragmentum servans ex Charetis historiis de Alexandro Magno. Descripsit Chares dies festos ab Alexandro, Dario devicto, celebratos, et alterum ex iis, qui ibi cithara canebant, posuit Ἡράκλειτον τὸν Ταραντῖνον; his verbis: „ἐκιθαρῴδησάν τε Ἡράκλειτός τε ὁ Ταραντῖνος καὶ Ἀριστοκράτης ὁ Θηβαῖος.

Heraclitum Tyrium philosophum Academicum (Cicero Acad. II. 4) Demetrio Magneti aequalem, qui hic non visitur, supra, p. 20 attigimus.

Θ.

ΘΑΛΑΙ.

1 Thales Milesius.

Diogenes L. I. 38. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Θαλαῖ, καθά φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς Ὁμωνύμοις, πέντε· ῥήτωρ Καλλατιανός, κακόζηλος· ζωγράφος Σικυώνιος, μεγαλοφυής· τρίτος ἀρχαῖος πάνυ, κατὰ Ἡσίοδον καὶ Ὅμηρον καὶ Λυκοῦργον· τέταρτος, οὗ μέμνηται Δοῦρις ἐν τῷ περὶ ζωγράφων· πέμπτος νεώτερος, ἄδοξος, οὗ μνημονεύει Διονύσιος ἐν Κριτικοῖς.

Διονύσιος ἐν Κριτικοῖς. Casu quodam complures hic coniecturae factae sunt, nihil nisi ingenii lusus nec certi quid afferentes. Casauboni coniecturam ἐν Κρητικοῖς nihili esse ostendit Ionsius III. p. 45; id Ionsium fecisse ignorabat Gräfenhanius. I. p. 543. Hic levi coniectura Casauboni nisus, veri parum similia de Dionysii Thracis quodam opere suspicatus est, neque tamen male Gräfenhanius credidit Dionysium Thracem, grammaticum, hic significari. Item halucinatio est Bernhardii, ἐν Ὀνειροκριτικοῖς (Muller. F. H. Gr. II. 11). Huiusmodi coniecturas aliis cumulare non difficile foret, verum ingens Dionysiorum scriptorum turba etiam primariis viris inextricabilis error fuit. Duo autem monenda: novissimus Thales ἄδοξος a Demetrio idcirco dicitur, quod aut non multo se antiquior aut ceteris iunior fuerit, et idem Dionysius iterum laudari videtur in Pythagoris (Diog. L VIII. 47): „καὶ ἕτερον Δωρικὰ πεπραγματευμένον, ὡς Διονύσιος ἱστορεῖ."

ΘΕΟΔΩΡΟΙ.

Diogenes L. II. 103—104. Θεόδωροι δὲ γεγόνασιν εἴκοσι· πρῶτος Σάμιος, υἱὸς Ῥοίκου· οὗτός ἐστιν ὁ συμβουλεύσας ἄνθρακας ὑποτιθέναι τοῖς θεμελίοις τοῦ ἐν Ἐφέσῳ νεώ· καθύγρου γὰρ ὄντος τοῦ τόπου τοὺς ἄνθρακας ἔφη τὸ ξυλῶδες ἀποβαλόντας

αὐτὸ τὸ στερεὸν ἀπαθὲς ἔχειν ὕδατι. δεύτερος Κυρηναῖος, *γεωμέτρης, οὗ διήκουσε* Πλάτων· *τρίτος ὁ προγεγραμμένος φιλόσοφος· τέταρτος, οὗ τὸ φωνασκικὸν φέρεται βιβλίον πάγκαλον· πέμπτος ὁ περὶ νομοποιῶν πεπραγματευμένος, ἀρξάμενος ἀπὸ* Τερπάνδρου· *ἕκτος στωικός· ἕβδομος ὁ τὰ περὶ* Ῥωμαίων *πεπραγματευμένος· ὄγδοος* Συρακόσιος, *περὶ τακτικῶν γεγραφώς· ἔνατος* Βυζάντιος, *ἀπὸ λόγων πολιτικῶν· δέκατος ὁμοίως, οὗ* Ἀριστοτέλης *μνημονεύει διὰ τῆς ἐπιτομῆς τῶν ῥητόρων· ἑνδέκατος* Θηβαῖος, *ἀνδριχντοποιός· δωδέκατος ζωγράφος, οὗ μέμνηται* Πολέμων· *τρισκαιδέκατος ζωγράφος* Ἀθηναῖος, *ὑπὲρ οὗ γράφει* Μηνόδοτος· *τεσσαρεςκαιδέκατος* Ἐφέσιος, *οὗ μέμνηται* Θεοφάνης *ἐν τῷ περὶ γραφικῆς· πεντεκαιδέκατος ποιητὴς ἐπιγραμμάτων· ἑκκαιδέκατος γεγραφὼς περὶ ποιητῶν· ἑπτακαιδέκατος ἰατρός,* Ἀθηναίου *μαθητής· ὀκτωκαιδέκατος* Χῖος, *φιλόσοφος στωικός· ἐννεακαιδέκατος* Μιλήσιος *καὶ αὐτὸς στωικὸς φιλόσοφος· εἰκοστὸς ποιητὴς τραγῳδίας.*

πρῶτος· Incertum est, utrum Theodorum Samium, quem ut a iuniore et minus nobili Theodoro item Samio, Teleclis filio distingueret, *υἱὸν* Ῥοίκου fuisse addidit, hoc loco posuerit ut scriptorem, an ut omnium antiquissimum, et idcirco celeberrimum *ἀνδριαντοποιόν* (Plato Io. 533), cuius opera quaedam supererant, *ὁμωνύμοις* scriptoribus adiecerit; recipiebat enim Demetrius Magnes quosdam, a ceteris secernendos, qui nulla scripta reliquerunt (vide ad Ἵππασοι). Quum Vitruvius Theodorum dicat de aede Iunonis, quae fuit Sami, scripsisse Dorice, aeque incertum est, utrum Demetrius illum commentarium (cf. Gräfenhan. I. p. 329) genuinum crediderit an Demetrium consentientem habuerit Silligius, qui in C. A. p. 442 istum librum seriore tempore fuisse confectum ait. Genuinum habet librum A. Hirt. Gesch. der bild. Künste p. 87, verum Hirtio longe meliora de utroque Theodoro dedit Silligius C. A. p. 435 seqq. cf. Thiersch. Epochen ed. 2ae p. 46—51. 137. 157 et Stallbaum. ad Platonis Ion. p. 533; vide et Pollucem X. 188.

δεύτερος. Nobilem hunc *γεωμέτρην*, cuius scripta Demetrii

aetate supererant, Plato Cyrenae audiverat (Diog. L. III. 6) eumque in tribus dialogis, Politico, Sophista, Theaeteto loquentem induxit. cf. Groen. Prosop. Plat. p. 190. et Cobet. Prosop. Xenoph. p. 32.

τέταρτος. Huius aliunde ignoti liber memoratur in Suidae farragine v. Θεόδωρος titulo hoc: περὶ τῶν ἐν φωναῖς ζητουμένων βιβλία γ'. Male Suidas ea tribuit Theodoro Gadareno; ὁ Γαδαρεύς, qui discipulum suum Tiberium, etiam puerum, adeo bene novit, ut eum πηλὸν αἵματι πεφυραμένον diceret (Sueton. Tib. 57), iunior fuit ut a Demetrio Magnete cognosceretur, nedum inter ὁμωνύμους scriptores reciperetur. Ab his enim catalogis absunt non solum Gadareno aequales, ut Archelaus rex et Diogenes grammaticus, a Tiberio, quem Rhodi luserat, Romae postea lusus (Suet. Tib. 23), sed et his maiores, ut Zeno Laodicensis orator, aliique.

πέμπτος. Quartum Theodorum musicum excipit alter musicus. Huiusmodi libri, qualem hic fecit, fuere inter fontes Plutarchi librum de Musica scribentis. Theodorus orsus est a Terpandro Lesbio, qui pulcherrimum musico nomen habens, post Homerum et ante Archilochum vivens, (Plut. de Mus. c. 5) primus musicen in artem redegerit et antiquissimus νομοποιός fuerit. Erat κιθαρῳδικῶν ποιητὴς νόμων (Plut. c. 3) eiusque κιθαρῳδία simplicissima servabat has regulas idcirco νόμους dictas, ἐπειδὴ οὐκ ἐξῆν παραβῆναι καθ' ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως. (Plut. c. 6).

ἔνατος. Apud Platonem ironice λογοδαίδαλος vocatur. cf. Menagium ad h. l. Ernestum in Orell. Onom. p. 580, Groen Prosop. Plat p. 111. Confusus est in Geelii H. Cr. Soph. p. 11 cum Theodoro Cyrenaeo, ad quem referenda sunt Platonis verba in Theaeteto p. 114 et 123 c.

δέκατος. Hic praecedenti forte iunior quum eo multo obscurior fuit, Demetrius laudabat Aristotelem, cuius opus, ἐπιτομὴν τῶν ῥητόρων hic dictum, Gräfenhanius I 495. II. 203

recte putat non diversum fuisse a *τεχνῶν συναγωγῇ*, a Diogene L. V. 24 inter Aristotelis opera recensita. Reapse enim haec erat *ἐπιτομὴ τῶν ῥητόρων*, Aristoteles ibi veteres scriptores artium a principe Tisia conduxit et nominatim cuiusque praecepta exposuit. (Cic. de Rhet. II. 2 de Orat. II. 38) Haec Aristotelia *ἐπιτομὴ* idem, quamquam alia de causa, effecit quod efficere solent epitomae, cito enim tot antiquiorum *τέχναι* perierunt, quum omnes, ut ait Cicero, Aristotelem quam ipsos inventores, his longe praestantem adire mallent.

ἐνδέκατος — *τεσσαρεςκαιδέκατος*. vide Sillig. C. A. p. 443 seq.

Μηνόδοτος. Iure, ut videtur, putat et Mullerus F. H. Gr. III. 105 hunc esse Menodotum Samium, qui de insula sua Sama scripsit et circa Polemonis tempora vixit. Nemo vero facile ad Theodorum, Ephesi, in Ionica urbe natum, librum illum de Iunonis templo, quae fuit Sami, Dorice scriptum, referet.

Θεοφάνης qui *περὶ γραφικῆς* scripsit quisnam fuerit, incertum; certe antiquior fuisse putandus est cum Mullero, quam nobilis *πολιτικὸς συγγραφεύς* Theophanes Mytilenaeus, Pompeio Magno familiarissimus et si quis alius a consiliis (Muller. F. H. Gr. III 312 seq.). Hic enim, praeterquam quod non facile *περὶ γραφικῆς* scripserit, a Demetrio Magnete vix potuit testis laudari.

πεντεκαιδέκατος. Fuit Colophonius et Aristotele antiquior. cf. Pollux IV. 55, Aristoteles *ἐν τῇ Κολοφωνίων πολιτείᾳ* apud Athen. p. 618, Muller F. H. Gr. II 164.

ἑκκαιδέκατος γεγραφὼς περὶ ποιητῶν. Hunc non dubito, quin sit Theodorus grammaticus, aliquoties laudatus ab Athenaeo, in Comicorum fragmentis illustrandis versato. Opus Theodori *γεγραφότος περὶ ποιητῶν* erat inscriptum *Ἀττικαὶ Γλῶσσαι*. Haec ita se habere demonstrant verba Athenaei, de variis corollis locuti p. 678: „*Θεόδωρος δ' ἐν ταῖς Ἀττικαῖς Γλώσσαις στεφάνων πλοκῆς γένος παρὰ Πλάτωνι* (comico) *ἐν Διὶ*

κακουμένῳ"; idem Athenaeus p. 646 varia panum genera ex Comicis recensens, eundem Theodorum ἐν ταῖς 'Αττικαῖς Γλώσσαις affert; et p. 677 ubi idem de eadem Platonis fabula laudatur pro ἐν ταῖς 'Α. Φωναῖς restituendum est ἐν ταῖς 'Α. Γλώσσαις. Athenaeus, quum saepe Theodori opus adiret, nude interdum eius nomen posuit, v. c. p. 497 „'Ρυσίς, Φιάλη χρυσῆ. Θεόδωρος. Κρατῖνος ἐν Νόμοις· „ῥυσίδι σπένδων." et p. 691. Praeterea nota confusio hic quoque obtinet et Θεόδωρος ὁ 'Αριστάρχειος semel atque iterum apud Athenaeum male in Διόδωρος abiit, v. c. p. 642; et p. 479 scribendum Θεόδωρος ἐν 'Ιταλικαῖς Γλώσσαις, ubi de Epicharmo sermo. Vides, ut Θεόδωρος ὁ 'Αριστάρχειος, et in 'Αττικαῖς et in 'Ιταλικαῖς Γλώσσαις γεγραφὼς περὶ ποιητῶν etiam quod ad temporum rationem, iure suum sibi locum in Demetrii indiculis vindicet.

ἑπτακαιδέκατος, ἰατρός, 'Αθηναίου μαθητής. Athenaeus Attalensis, medicus pneumaticus satis nobilis; natu paulo maior fuit, quam ei adversatus Asclepiades Prusaeus (Galen VIII. 646, 749, XI. 163. Kuhn). Asclepiades, celebrior quam clarior, ex orandi magistro medicus iam factus erat ante a. 91, quo anno L. Licinius Crassus orator obiit (Clinton F. H. III. p. 542). Crassus apud Ciceronem de Orat. I. 14. ait hoc Asclepiade se medico amicoque usum fuisse; quum autem Antiochus Academicus, quem Cicero a° 79 Athenis audivit (Cic. Brut. c. 91), Athenaeus, Asclepiades et horum natu non maior Crassus (140—91), quadraginta fere annis ante Ciceronem nati sunt, Athenaei discipulus, Theodorus, Ciceroni aequalis natu paulo maior fuerit, ipsique Demetrio Magneti, qui hunc pneumaticum inter novissimos quos novit recensuit. — De Athenaeo, discipulo suo clariore sectaeque pneumaticae conditore egit Sprengel II. p. 95. cf. Fabric. B. Gr. XIII. 93.

εἰκοστός, ποιητὴς τραγῳδίας. Meinekius H. Cr. Com. Gr. p. 524 seq. quum nesciret hos ὁμωνύμων catalogus auctorem habere Demetrium Magnetem, inque iis scriptores tantum oc-

currere, sanum locum pessumdabat, et idem, si quid rei esset novisset, nunquam scripsisset: „at cum vix credere liceat celeberrimum histrionem (i. e. Theodorum histrionem tragicum, Demostheni oratori aequalem) a Diogene fuisse praetermissum, haud quaquam improbabile est pro *ποιητὴς* apud hunc scribendum esse *ὑποκριτής*." Quam coniecturam non solum perquam improbabilem sed et infelicem esse, neminem nunc quidem latet; Wyttenbachius (ad Morall. p. 18), a Meinekio hic laudatus, recte vidit, a Theodoro histrione longe diversum esse poetam tragicum; quod verum ut probaret, optimo argumento neglecto, alio falsissimo usus dixit „ipsum numerum id probare apud Diogenem L. qui viginti Theodoros enumerans tragicum postremum posuerit: quandoquidem Diogenes fere in enumerandis homonymis ordinem aetatis sequi solet." Ultima haec, quae Wyttenbachius difficillime ex homonymorum catalogis probasset, aliter se habere in adnotatis ad Aeschines ostendimus; verum ut dies diem docet, postea Wyttenbachius, Panaetii vitam enarrans, egregie sententiam suam de auctore *ὁμωνύμων*, a Diogene servatorum, mutaverat.

Ut testimoniis a Wyttenbachio collectis de Theodoro histrione, qui poetam tragicum laude longe superavit, unum obiter addam, Pausanias eius sepulcrum adhuc vidit, et scripsit in Atticis c. 37, 3. *πρὶν δ' ἢ διαβῆναι τὸν Κηφισόν, Θεοδώρου μνῆμά ἐστι τραγῳδίαν ὑποκριναμένου τῶν καθ' αὑτὸν ἄριστα.*]

I.

ΙΠΠΑΣΟΙ.

D i o g e n e s L. VIII. 84. *Γεγόνασι δ' Ἵππασοι δύο, οὗτός τε καὶ ἕτερος γεγραφὼς ἐν πέντε βιβλίοις Λακώνων πολιτείαν· ἦν δὲ καὶ αὐτὸς Λάκων.*

οὗτος. i. e. Hippasus Pythagoreus. D i o g e n e s L. l. l. *Φησὶ*

δ' αὐτὸν Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις μηδὲν καταλιπεῖν σύγγραμμα. cf. Diog. L. VIII. 7.

Praeter Hippasum Pythagoreum alii sunt, qui nulla reliquerunt scripta et a Demetrio inter ὁμωνύμους scriptores recensiti sunt, ut Thales Milesius, Socrates, Arcesilaus Academicus (Clinton F. H. III. p. 528) Carneades (Plut. de virt. Alex. p. 238 id. de disc. adul. et amico c. 22) Pythagoras (Voss. de H. Gr. p. 11. W. Galen. XV. 68 Kuhn). His adde Diogenem Cynicum (Diog. L. VI. 80) et Aristippum (Diog. L. II. 84), a quibus Sosicrates Rhodius, Διαδοχῶν diligens, ut videtur, auctor Demetrioque antiquior, omnia illis tributa scripta adiudicabat. cf. Diogenem L. in prooem. § 6.

ἕτερος. Ad hunc recte retulerunt Athenaei verba in epitome libri primi p. 14.

ΙΣΑΙΟΙ.

Harpocration, Ἰσαῖος — Ἀθηναῖος τὸ γένος, καθά φησιν Ἕρμιππος ἐν β' περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν. Δημήτριος δ' ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν Χαλκιδέα φησὶν αὐτὸν εἶναι.

Dionysius Halic. in initio iudicii de Isaeo, eundem Hermippum et Demetrium respiciens scripsit: „Ἰσαῖος, ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, Ἀθηναῖος ἦν τὸ γένος· ὡς δὲ ἕτεροι γράφουσι, Χαλκιδεύς." Pseudo-Plutarchus in X. oratt. vitis, et alibi et hic Demetrium secutus, dixit: „Ἰσαῖος Χαλκιδεὺς μὲν ἦν τὸ γένος, παραγενόμενος δ' εἰς Ἀθήνας." cet.

Isaeus quoque testimonio est, Hermippum et Demetrium de iis rebus scribentes non eadem semper tradidisse, utri fides maior hic habenda sit, unusquisque videt qui reputet, quam multi viri, litterarum vel rerum gestarum laude florentes, non illum locum, unde revera oriundi fuerant, sed eam urbem, ubi degere soliti laudem suam nacti fuissent, hanc patriam casu aut vanitate habuisse dicerentur. Nonnulla exempla huic rei testes attulit Ionsius I. 2. 6.

Isaei ὁμωνύμου, quem quidem Demetrius nosse potuit, memoria servata esse non videtur.

K.

ΚΑΡΝΕΑΔΑΙ.

1. Carneades Academicus.

Diogenes L. IV. 66. Γέγονε μέντοι καὶ ἄλλος Καρνεάδης, ἐλεγείας ποιητὴς ψυχρός.

Carneades, Academiae tertiae conditor, Cyrenae natus, dicebatur Cyrenaeus sive Libys; Athenis degere solitus, Atheniensis; idem ob insignem facundiam σοφιστὴς appellabatur; de erroribus, in Suidae farragine hinc ortis, bene scripsit Fabricius B. Gr. II. 55. (III. 166. 601 ed. Harl.).

Multum olim viros doctos exercuit Ciceronis locus de Finib. V. 31 ubi Carneades dicebatur Epicuri familiaris fuisse (cf. Ions. II. 14. 1 et Gassend. apud Menag. ad Diog. X. 9), donec Davisius ex Plutarchi libro, non posse suav. vivi sec. Ep. II. p. 1089 ostendit, Ciceronem non Carneadem, Epicuro multo iuniorem, ibi significasse, verum eum scripsisse „Corniades, Epicuri perfamiliaris." cf. Orell. Onom. Tull. p. 198.

ΚΛΕΑΝΘΑΙ.

Diogenes L. VII. 169. Cleanthem Stoicum ἡγούμενόν τε τῶν ἐφήβων ἐπί τινα θέαν, ὑπ' ἀνέμου παραγυμνωθῆναι καὶ ὀφθῆναι ἀχίτωνα· ἐφ' ᾧ κρότῳ τιμηθῆναι ὑπ' Ἀθηναίων, καθά φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς ὁμωνύμοις.

Desideramus Cleanthes ὁμωνύμους. Diogenes Laërtius duobus aliis locis, ad Onesicritum et ad Philolaum, cognomines ex Demetrio adscribere omisit.

En alii Cleanthes, Demetrio Magnete antiquiores:

1. Cleanthes, Corinthius, pictor, Demetrio Scepsio natu multo

maior (Athenaeus p. 346. Plinius N. H. XXXV. 3. 5. Westermann. in Paulii Thes. v. Cleanthes p. 433).

2. Cleanthes Tarentinus, poëta, memoratur apud Athen. 1. p. 4 a Clearcho Solensi peripatetico, Aristotelis discipulo. (Muller F. H. Gr. II. 302).

Laudatur interdum Κλεάνθης ἐν Μυθικοῖς; verum ubique magis vulgari Κλεάνθης substituendum est minus tritum Νεάνθης, ut ostendit Mullerus F. H. Gr. III. p. 2 seqq. in Neanthis Cyziceni fragmentis. Vossius H. Gr. p. 135 W. male de Cleanthe hic cogitabat, idem tamen in aliis locis recte vidit Νεάνθης esse restituendum.

Bährius in Paulii Thes. non sine ἀκρισίᾳ scribere solitus, praeter Cleanthem Stoicum duos tantum affert, qui tamen nunquam exstiterunt. Etenim Cleanthes Ponticus, quem Menagium male secutus ex Diogene L. IX. 15. affert, nunquam fuit, neque Cleanthes Samius medicus, a Palmerio ex Plutarchi libro de facie in orbe lunae p. 923 productus; iam Fabricium B. Gr. II. 398 (III. 544. Harl.) recte Plutarchi locum correxisse, ibique de nullo alio nisi Cleanthe Stoico esse sermonem, ipse Diogenes L. VIII. 174. probat, qui inter Stoici scripta librum πρὸς Ἀρίσταρχον enumerat. Cleanthes Ponticus natus est ex interpolato loco: apud Diog. L. IX. 15 ii, qui Heracliti τοῦ σκοτεινοῦ librum exposuere, olim dicebantur fuisse Ἀντισθένης καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς Κλεάνθης τε ὁ Ποντικὸς καὶ Σφαῖρος ὁ στωικός, nunc vero ibi tantum legitur, verbis ὁ Ποντικὸς abiectis, Κλεάνθης τε καὶ Σφαῖρος ὁ στωικός. Id recte se habere et unum Cleanthem Stoicum, qui Heracliti librum exposuerit, a Diogene significari, idem demonstrat, in eodem librorum catalogo, quos Cleanthes Stoicus reliquerat, praebens βιβλία — τῶν Ἡρακλείτου ἐξηγήσεις τέσσαρα.

ΚΡΑΤΗΤΕΣ.

Diogenes L. IV. 23. Γεγόνασι δὲ Κράτητες δέκα· πρῶτος ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής· δεύτερος ῥήτωρ Τραλλιανὸς

Ἰσοκράτειος· τρίτος ταφρωρύχος Ἀλεξάνδρῳ συνών· τέταρτος ὁ κύων (περὶ οὗ λέξομεν)· πέμπτος φιλόσοφος περιπατητικός· ἕκτος Ἀκαδημαϊκός, (ὁ προειρημένος)· ἔνατος ἐπιγραμμάτων ποιητής· δέκατος Ταρσεύς, φιλόσοφος Ἀκαδημαϊκός..

πρῶτος. Meinekius H. C. Com. Gr. p. 58 hoc Diogenis Laërtii, ut credebat, catalogo pro testimonio recte usus ostendit, Suidam pessime duos comoediae veteris Cratetes finxisse. Melius etiam Wyttenbachius in simili re, demonstrans Cratetem Pergamenum et Mallotem unum eundemque grammaticum fuisse, ut hodie inter omnes constat, non leve ducendum esse scripsit quod Diogenes, ubi cognomines Cratetes scriptores enumerat, Mallotem, non item Pergamenum nominaret, siquidem in recensendis cognominibus viris Laërtius diligenter sequi solet diligentissimum scriptorem Demetrium Magnetem (Wyttenb. de Panaetio p. 21).

De oratore Isocrateo vide Ruhnken. H. Cr. Or. I. 370. Bergm. et Westerm. Gesch. d. Bereds. I. 50. Tertius Crates, ὁ ταφρωρύχος, homo non ignobilis, qui cum Alexandro Magno militabat, ut scriptor hic occurrit; legerat enim eius ad Alexandrum datam epistolam Strabo p. 407, qui μεταλλευτὴν eum vocat. Crates memoratur de Copaïde lacu, quem fossa valloque diremit, et a Strabone et a Stephano Byzantino v. Ἀθῆναι, ubi Meinekium vide.

Τέταρτος, ὁ κύων. Diogenes L. VI. 88. Φησὶ δὲ Δημήτριος ὁ Μάγνης τραπεζίτῃ τινὶ παρακαταθέσθαι τἀργύριον, συνθέμενον εἰ μὲν οἱ παῖδες ἰδιῶται γένοιντο ἀποδοῦναι· εἰ δὲ φιλόσοφοι τῷ δήμῳ διανεῖμαι· μηδενὸς γὰρ ἐκείνους δεήσεσθαι φιλοσοφοῦντας.

Πέμπτος, φιλόσοφος περιπατητικός. Ignotus peripateticus ipsius Aristotelis discipulus fuerit, quod inde conficio, quoniam medius inter Cynicum, qui ei aequalis et Academicum, qui eo iunior fuerit, positus est: in Demetrii catalogis saepius cardo rei versatur in philosophis: his qui ordine anteponuntur eosdem aetate quoque praecesserint; ex hac ratione septem priores Cratetes ordine chronologico se excipiunt, quibus reliqui ad-

nectuntur. Tarsensis Academicus, loco ultimus, proxime ad Demetrii aetatem accesserit, sicuti in aliis catalogis obtinere videmus, ubi aut aetate ultimus, aut poëta aut artifices novissimum agmen efficiunt.

De historicis operibus Cratetis Atheniensis i. e. Academici, sexto loco hic positi, deque Cratete Mallota vide Mullerum F. H. Gr. IV. 390.

Epigramma in Euphorionem Chalcidensem, Mallotae tributum, attigit Meinekius Anal. Alex. p. 30; adde Bähr. Paulii Thes. II. p. 740.

Unum adiicio: Octavus Crates dicitur *γεωμετρικὰ γεγραφώς*; haec vero verba de vitio suspecta habeo; non crediderim Demetrium, si Cratetem quemdam mathematicum laudare voluisset, adeo mirum in modum scripsisse *ὄγδοος, γεωμετρικὰ γεγραφώς*, sed ille potius dedisset *ὄγδοος, γεωμέτρης*; facile nec temerarium est corrigere *γεωργικὰ γεγραφώς*, quemadmodum Demetrius ultimum descripsit Chrysippum: *καί τις γεωργικὰ γεγραφώς* (Diog. L. VII. 186). Crates, qui de re rustica scripsit, non ex Orco in lucem retrahitur, sed exstat apud Varronem et Columellam I. 1. qui Varronem descripsit. Varro R. R. I. 1 enumeratis scriptoribus de re rustica, quorum patriam novit, ita pergit: „De reliquis, quorum quae fuerit patria non accepi, sicut Androtion, Aeschrion — Crates," etc. Eadem opportunitate vides, quanta socordia egerint ii, qui Cratetem Mallotem, ut *πολυΐστορα* scilicet, de re rustica librum composuisse credebant.

Λ.

ΛΕΥΚΑΙ.

Harpocration, *Λευκὴ ἀκτή. Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Ἀλκιβιάδην. Πλειόνων οὐσῶν Λευκῶν, ὡς Δημήτριος ὁ Μάγνης δηλοῖ, ἔοικε τῆς ἐν Προποντίδι μνημονεύειν ὁ ῥήτωρ νῦν.*

Demetrius Magnes, in Ὁμωνύμοις tantum nomina propria recensens, huius Λευκῆς ἀκτῆς inter multas Λευκάς, quibus ab Harpocratione quoque annumeratur, meminit, et sub lemmate Ἀκταὶ nonnisi eas, quibus Ἀκτὴ nomen proprium erat, recepit.

ΛΥΚΩΝΕΣ.

Diogenes L. V. 69. *Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Λύκωνες· πρῶτος Πυθαγορικός· δεύτερος αὐτὸς οὗτος· τρίτος ἐπῶν ποιητής· τέταρτος ἐπιγραμμάτων ποιητής.*

πρῶτος. Ad Lyconem Tarentinum Pythagoreum (Iamblich. de vita Pyth. § 267) Fabricius B. Gr. I. 507 ed. 1ae recte retulit Diogenem L. V. 16, ubi Lyco dicitur convicia in Aristotelem iecisse, item Aristoclis peripatetici verba apud Eusebium P. E. XV. 2 (cf. Luzacium Lect. Att. p. 297 seqq.); idem Fabricius Lyconem Aristoteli supparem fuisse recte putat, quod Demetrius Magnes confirmat, eum anteponens Lyconi peripatetico, Aristotele iuniori.

A Pythagoreo Tarentino, contra quam Ionsius IV. 258 fecit, probe distinguendus est, duce Demetrio Magnete, Pythagoreus quidam, perperam ex creberrima confusione Λύκων ὁ Ἰασεύς vocatus, quum revera Λύκος ὁ Ἰασεύς dictus fuit ab Athenaeo p. 418. cf. p. 47; et apud eundem p. 69 „Valckenaerius pro Ἴβυκος δ' ὁ Πυθαγόρειος verissime scripsit Λύκος δ' ὁ Πυθαγόρειος" ut Ruhnkenii verbis (Opusc. I. p. 394 B.) utar; haec fugisse videntur Mullerum F. H. Gr. II. 371. Idem Λύκος laudatur a Porphyrio vita Pyth. § 5, contra Λύκος peripateticus male pro Λύκων legitur apud Clem. Alex. Strom II. 497. cf. Fabric. II. 304. ed. 1ae. Ruhnk. Op. l. l.

Lyco (Plato Apol. p. 23. p. 36. cf. Groen Pros. Pl. p. 137) δημαγωγός ille, qui de Socratis accusatione, si Diogeni Laërtio II. 38. credas (vide Cobetum V. L. Mnemos. VIII, 53), cum aliis πάντα προητοίμασε, a Demetrio Magnete omissus est, quod

nulla praestantis indolis scripta monumenta reliquerit. Lyconem Socratis accusatorem cum Lycone miti homine Autolyci patre in Scholiis ad Plat. Apol. confundi, ostendit Cobetus Pros. Xenoph. p. 55 seq.

M.

ΜΕΘΩΝΑΙ.

Harpocration: Μεθώνη. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. λέγοι ἂν τὴν ἐν Θρᾴκῃ, ἣν πολιορκῶν Φίλιππος ἐξεκόπη τὸν δεξιὸν ὀφθαλμόν. Δημήτριος δ' ὁ Μάγνης ἐν ταῖς συνωνύμοις (l. ὁμωνύμοις) πόλεσι τέσσαρας εἶναί φησι Μεθώνας.

Si Demetrii opus superesset, facilius dirimeretur quaestio, utrum Methone Macedoniae et Methone Thraciae pro duabus diversis, an pro una atque eadem urbe habendae sint. Stephani Byzantini v. Μεθώνη verba turbata sunt et Strabonis locus p. 436 f. non uno nomine corruptus est. Forbigerus (in Paulii Thes. v. Methone) ad Methonem Macedonicam traxit locum Plutarchi Qu. Gr. XI, ut eam coloniam Eretriensium diceret; at Plutarchus favere videtur suspicioni Groskurdii, cui obloquitur Forbigerus, consentit Meinekius (ad St. B. v. Μεθ.). Groskurdius (II. 237) Methonem Thraciae et Macedoniae diversas habens, in mutilo Strabonis loco p. 436 post τῆς Θρᾳκίας Μεθώνης supplevit καὶ τῆς Μακεδονικῆς; nempe Plutarchus non in Macedoniam, sed in Thraciam Eretrienses abiisse dicit: „Ἐρετριεῖς ἐπὶ Θρᾴκης ἀπέπλευσαν καὶ κατασχόντες χωρίον, ἐν ᾧ πρότερον οἰκῆσαι Μέθωνα τὸν Ὀρφέως πρόγονον ἱστοροῦσι, τὴν μὲν πόλιν ὠνόμασαν Μεθώνην". etc. Et quum Strabo in ceteris duobus locis pag. 330 fragm. 30 et p. 374 Methonem, ubi Philippus oculo captus est, vocet Macedonicam, idcircone Harpocration, Θρᾴκην eam appellans, eodem modo hic erraverit ac Solinum c. 14, Philippo in Methone Magnesiae id accidisse dicentem,

errasse constat? (cf. Clinton F. H. a 353. Niebuhr Vort. über alten Länder- u. Völkerk. p. 295). Verum aliter se res habet, et tempora sunt distinguenda: una eademque urbs est Methone Thracia et Macedonica; quae Methone ante Philippum fuit Thraciae urbs, ea ab illo expugnata est et regio circumiacens Macedonica facta est. (Diod. S. XIII. 34. Niebuhr. Vort. p. 225). Non mirum, si eam Plutarchus dixit Thraciam, qui de temporibus mythologicis locutus sua hauserat ex *κτίσεων* scriptore, forte ex Aristotele, cuius Μεθωναίων Πολιτεία ab Athenaeo p. 235. laudatur et Aristotelis fragmentis a Mullero collectis addenda est. Eustathius ad Iliad. B. p. 328 (vide Wyttenb. ad Plut. Qu. Gr. p. 293) eandem historiolam ac Plutarchus narrans, eam Macedonicam vocat. Accedit huc, quod neque Scylax § 46, qui post Methonen a Philippo dirutam scripsit (Geogr. Min. ed. Muller p. XLIV), neque Plinius, in ditissimis suis de Geographia libris diligentissimus, Methonen Thraciam afferunt. Ne Stephanus Byzantinus quidem de duabus Methonis hic cogitabat, neque apud eum vulgata lectio δ' ἐν Περσίδι. ε' Εὐβοίας, cum Meinekio, qui paulo supra in loco mutilato recte nomen Μαγνησίας restituit, mutanda est in ε' ἐν Περσίδι. ς' Εὐβοίας.

Certa res est Demetrium Magnetem non recensuisse Argolidis urbem et peninsulam, quae Dorice Μεθάνα et postea, *τῇ κοινῇ*, Μεθήνη (Ptolemaeus III. 16. 19) dicta, (Pausanias II. 34. scripsit *τὰ* Μέθανα et *ἐν τοῖς* Μεθάνοις) nihil commune habet cum nomine Μεθώνη. Huius Μεθάνας Demetrius Magnes ad Μεθώνας nonnisi meminerit, quam ut homines admoneret, ne se transversos agi paterentur a scribis, pro insolentiore Μεθάνα notiorem Μεθώνη substituentibus. Veterem hunc errorem iam Demetrius Scepsius notaverat, ut Strabo p. 375 luculenter ostendit, cuius verba ignorata fuerunt a Scholiasta ad Iliadem B. 716. (cf. Cobet. V. L. p. 370).

ΜΕΝΙΠΠΟΙ.

Diogenes L. VI. 105. Γεγόνασι δὲ Μένιπποι ἕξ· πρῶτος ὁ γράψας περὶ Λυδῶν καὶ Ξάνθον ἐπιτεμόμενος· δεύτερος αὐτὸς οὗτος· τρίτος Στρατονικεὺς σοφιστής, Κὰρ τὸ ἀνέκαθεν· τέταρτος ἀνδριαντοποιός· πέμπτος καὶ ἕκτος, ζωγράφοι· μέμνηται δ᾽ ἀμφοτέρων Ἀπολλόδωρος.

Tertius Menippus, Stratonicensis (Plut. Cic. 4 Μενίππῳ τῷ Καρί) Cicerone et Demetrio una aetate maior ex ultimis fuit, quos hic in catalogis suos recepit; quo anno (46 a. C.) Cicero Brutum conscripsit, Menippus iamdudum mortuus erat.

Quemadmodum eum Cicero (Bruto 91) omnium aequalium disertissimum dixit, sic a Demetrio quoque honoris causa σοφιστής appellatus est, haud aliter atque hoc cognomine utebatur Carneades „homo omnium in dicendo acerrimus et copiosissimus et in quo vis incredibilis dicendi et varietas inerat" (Cic. de Or. I. 11, II. 38), Suidas v. Καρνεάδης. — Strabo p. 660, Ciceronis verba (in Bruto l. l.) respiciens, nos docet Menippum Κοτόκας (v. l. κατόκας et κατοκᾶς) ἐπικληθῆναι. Quid hoc cognomentum significaverit, Caricae linguae gnari dicant. De Caribus et Stratonicae incolis vide Strabonem l. l.

Genuinos ὁμωνύμων catalogos, quos Demetrius confecit, nobis servasse Diogenem et Menipporum series confirmat, quippe in qua non visitur geographus Menippus Pergamenus, amicus poëtae Crinagorae Mytilenaei (Anthol. Gr. II. 134 Iacobs), cuius Crinagorae Strabo p. 617 ut coaetanei sui meminit; rectissime, licet dubitanter, Mullerus in Geogr. Min. I p. cxxxv Demetrii Magnetis auctoritate usus est in constituenda Menippi Pergameni aetate. Quum autem Strabo Crinagorae, non vero Menippi geographi meminerit, Menippus opus suum aliquot annis post absolverit, quam Strabo sua edidit. (cf. Ukert. Geogr. I. 206. Forbiger. I. 450.)

Ξ.

ΞΕΝΟΚΡΑΤΕΙΣ.

I. Xenocrates, Academicus.

Diogenes L. IV. 15. Γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Ξενοκράτεις ἕξ· ὅ τε τακτικὸς ἀρχαῖος σφόδρα** καὶ ὁ συγγενὴς ἅμα καὶ πολίτης τῷ προειρημένῳ φιλοσόφῳ· φέρεται δ' αὐτοῦ λόγος Ἀρσινοητικός, γεγραμμένος περὶ Ἀρσινόης ἀποθανούσης. τέταρτος, φιλόσοφος ἐλεγείαν γεγραφὼς οὐκ ἐπιτυχῶς. (ἴδιον δέ· ποιηταὶ μὲν γὰρ ἐπιβαλλόμενοι πεζογραφεῖν ἐπιτυγχάνουσι· πεζογράφοι δὲ ἐπιτιθέμενοι ποιητικῇ πταίουσι· τῷ δῆλον τὸ μὲν φύσεως εἶναι, τὸ δὲ τέχνης ἔργον.) πέμπτος ἀνδριαντοποιός· ἕκτος ᾄσματα γεγραφώς, ὥς φησιν Ἀριστόξενος.

ὅ τε τακτικὸς ἀρχαῖος σφόδρα. Demetrius postquam de Xenocrate Academico egerat, alios sex adiecit. Ad tacticum autem male retulerunt (cf. Paulii Thes. v. Xenocr.) Strabonis locum p. 550, ubi ob Menecratis Elaitae, Hecataeo aequalis, mentionem unice vera lectio est Ξενοφάνους. cf. Strabo 572, 621.

Xenocratum vero catalogus graviorem labem contraxisse et ἀνήκεστος esse videtur. Ut nunc se res habet, unus Xenocrates exciderit. Constat aliquid excidisse et Demetrium praeter Aristotelis aequalem sex alios Xenocrates novisse, quinque tantum apparere; itaque aut unus supplendus aut sextus hic latet. Noli autem nimium tribuere lacunae signo. Iam ὅ τε τακτικὸς — καὶ ὁ συγγενὴς bene inter se cohaerent (cf. Epicuri et Protagorae); desideres potius aliquid inter φιλοσόφῳ et φέρεται, atque ex variis coniecturis a Merico Casaubono hic prolatis una memoratu digna et speciosa est, qua post φιλοσόφῳ supplet γ' i. e. τρίτος. Hic ipse numerus requiri videtur, et in Xenocratum serie Demetrius eodem modo scripserit atque in Thaletum dedit, ubi numerum ad duos primos omisit, ad tertium apposuit. Vel sic tamen locus non persanatus est; vocab. φιλόσοφος quod

etiam post γ' M. Casaubonus inserere volebat, certe non exciderit, idque tum demum posses supplere, si sequeretur *τέταρτος καὶ αὐτὸς φιλόσοφος* vel *τέταρτος ὁμοίως* (cf. *Θεόδωροι*); exciderit potius alius professionis titulus aut patriae nomen. Cum loco nostro: *τρίτος*** *φέρεται δ' αὐτοῦ λόγος* etc. confer (Diogen. VI. 81): *Γεγόνασι δὲ Διογένεις πέντε· πρῶτος Ἀπολλωνιάτης, φυσικός· ἀρχὴ δ' αὐτῷ τοῦ συγγράμματος ἥδε.*

Laudatur in Etym. M. v. *Ἀσσυρία*, *Ξενοκράτης* aliunde ignotus *ἐν πρώτῳ Χρονικῶν*, verum ibi Mullerus F. H. Gr. IV. 530 probabili coniectura reposuit *Ξεναγόρας*. Nequaquam huc trahendi Xenocrates duo, quorum unus, Ephesius, aetate Plinii mortuus est (Plin. N. H. XXXVII, 11 cf. Voss. H. Gr. p. 509 ibiqne Westerm.), alter Aphrodisiensis, a Plinio ignoratus, iisdem temporibus sive tempore Galeni avorum vixit (Fabricius B. Gr. XIII. 452 et IX. 452 ed 1ae, Sprengel Gesch. d. Arzneik. II. 77. Muller. l. l.)

Xenocrates ille *τοῦ Ἀρσινοητικοῦ λόγου* auctor, quisquis fuerit, coaetaneus fuit Ptolemaei Philadelphi, qui ab 285 ad 247 ante aeram nostram regnavit. In huius enim sororem uxoremque Arsinoen, splendissimo funere a fratre maritoque suo ornatam Xenocrates orationem funebrem composuisse putandus est. Notum est Sotadem Maroniten *τὸν κιναιδολόγον* ob Arsinoen ad Ptolemaeum cecinisse: „*εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς*," et non mirum, si idcirco Sotades vel per litterarum fautorem Ptolemaeum *ἐν δεσμωτηρίῳ πολλοὺς κατεσάπη χρόνους* (Plut. Morall. p. 11 a.) aut etiam eius iussu poenas vita luerit (Athen. p. 621). Quo anno Arsinoe obierit ignoratur, sed nonnisi paucos annos ei superstes fuerit Ptolemaeus, qui templum, in Arsinoes honorem erectum, absolutum non vidit. de Arsinoe cf. Clinton. F. H. III. p. 379. Muller. F. H. Gr. III. 343.

τέταρτος. Ad hunc referunt epigramma in Hermen. Anthol. II. 59. Iac. — (*ἴδιον δέ — ἔργον.*) In his verbis et quod ad poëtas et quod ad prosae scriptores attinet, nihil veri inest.

Non semper poëtas, soluta oratione scribere aggressos, praestare, Virgilii exemplo ostendit Menagius, et pedestres scriptores ad poësin se convertentes non ubique falli, testimonio est vel unus Aristotelis hymnus in Hermian, multis laudibus celebratus et ab ipso Diogene V. 7. servatus. Non tamen ob has tantum causas a Demetrio Magnete ista inania et prolixa verba abiudicamus, verum quod a sobrietate et brevitate, cui in ὁμωνύμων recensendis ille studuit, vehementer abhorrent, contra optime conveniunt poëtastro Diogeni Laërtio, quem olim suspicati sunt, non illepide quidem, sed callidius ei consilium tribuentes, eo potissimum consilio Historiam philosophorum scripsisse, ut haberet quo poëmata sua, ex sua παμμέτρῳ desumpta, posteritati obtruderet (cf. Luzac. Lect. Att. p. 170).

ἕκτος, ἀνδριαντοποιός. Nobilis hic artifex de toreutice deque pictura composuit volumina (Plinius N. H. XXXIII Ind. XXXV p. 292 Bip.) et ex Plinio XXXIV. 8. 244 Bip. Vossius H. Gr. p. 609 W. iure confecit, eum vixisse, circa Ptolemaei Philadelphi tempora. Idem Xenocrates intelligendus est apud Diogenem Laërtium VII. 188, qui nescio quem exscribens et veteres περὶ τῶν πινάκων γράψαντας laudans pro Ὑψικράτει scripsit aut scribere debuit Ξενοκράτει. Praeterquam enim quod inter scriptores περὶ πινάκων nullus Hypsicrates notus est, Xenocrates ille cum Polemone et Antigono, paulo eos antecedens aetate, optime coniungitur. Eodem modo Plinius XXXV. p. 293 B. scripsit: „Hanc ei (Parrhasio) gloriam concessere Antigonus et Xenocrates qui de pictura (= περὶ πινάκων) scripsere."

ΞΕΝΟΦΑΝΕΙΣ.

1. Xenophanes Colophonius.

Diogenes L. IX. 20. Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Ξενοφάνης, Λέσβιος, ποιητὴς ἰάμβων.

Xenophanes Iambographus aliunde parum notus est. Clinto-

nus F. H. III. a. 78. a. C. et p. 544 (565 ed. 2ae posthumae) ex Ciceronis Bruto c. 91. Xenophanem Adramyttenum memoriae aut calami lapsu affert, nam orator Adramyttenus, quocum Cicero Asiam peragravit non Xenophanes verum Xenocles erat, quemadmodum omnes Tullii editiones habent et olim in suis Ciceronis libris invenerunt Strabo p. 660 et 614, atque Plutarchus, Cic. 4.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΕΣ.

Diogenes L. II. 59. *Γεγόνασι δὲ Ξενοφῶντες ἑπτά· πρῶτος αὐτὸς οὗτος· δεύτερος Ἀθηναῖος, ἀδελφὸς Πυθοστράτου τοῦ τὴν Θησηΐδα πεποιηκότος, γεγραφὼς ἄλλα τε καὶ βίον Ἐπαμεινώνδου καὶ Πελοπίδου· τρίτος ἰατρὸς Κῷος· τέταρτος ἱστορίαν Ἀννιβαϊκὴν γεγραφώς· πέμπτος μυθώδη τερατείαν πεπραγματευμένος· ἕκτος Πάριος ἀγαλματοποιός· ἕβδομος κωμῳδίας ἀρχαίας ποιητής.*

πρῶτος, αὐτὸς οὗτος· α'. Diogenes L. II. 52. *Ἐντεῦθεν* (ex Boeotia) *ἐάσας τὸν Ἀγησίλαον ἧκεν εἰς Σκιλλοῦντα, χωρίον τῆς Ἠλείας ὀλίγον τῆς πόλεως ἀπέχον· εἵπετο δ' αὐτῷ καὶ γύναιον ὄνομα Φιλησία, καθά φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης, καὶ δύο υἱεῖς Γρύλλος καὶ Διόδωρος, ὥς φησι Δείναρχος ἐν τῷ πρὸς Ξενοφῶντα ἀποστασίου, οἳ καὶ Διόσκουροι ἐπεκαλοῦντο.*

Dubitare non debebat Krügerus (de vita Xenoph. p. 18) quin Xenophon eo tempore (399. a. C.), quo cum Seuthe colloquebatur, nondum libros habuerit; hos sibi tunc nullos fuisse ipse Xenophon Anab. VII. 6. 34 significavit et inde Cobetus (V. L. Mnem. VII. p. 50) nuper demonstravit; neque dubitare debebat Krügerus (ibid. p. 20) quin *Φιλησία*, quae a° 394 (cf. Clinton F. H. a. 394) cum Xenophonte Scilluntem venit, non iusta uxor sed concubina fuerit; concubinam fuisse ostendunt ipsa *εἵπετο δ' αὐτῷ καὶ γύναιον.* Ceterum ex iis, quae ipse Xenophon (Anab. V. 3. 6) de sua in Scillunte sede narrat, apparet eum, qui a° 399 nondum trigenarius neque liberos habens,

ut demonstrat Cobetus, apud Seuthen regem fuit, multis annis post id tempus, quum iam liberi adoleverant, Anabasin conscripsisse.

β'. Diogenes L. II. 56. τέθνηκε δ' ἐν Κορίνθῳ, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης, ἤδη δηλαδὴ γηραιὸς ἱκανῶς· (ἀνὴρ τὰ τἄλλα γεγονὼς ἀγαθὸς καὶ δὴ καὶ φίλιππος καὶ φιλοκύνηγος καὶ τακτικός, ὡς ἐκ τῶν συγγραμμάτων δῆλον· εὐσεβής τε καὶ φιλοθύτης καὶ ἱερεῖα διαγνῶναι ἱκανὸς καὶ Σωκράτην ζηλώσας ἀκριβῶς). Cum Demetrio dicenti, Xenophontem senio confectum obiisse, consentiunt reliqui testes, Diodorus Siculus XV. 76. et (Lucianus) Macrob. 21. Solus Demetrius nobis auctor est eum Corinthi mortuum esse; quo vero anno ut neque nunc sic ne olim quidem constiterit. cf. Clinton F. H. a° 953 et II. p. 283.

γ'. Diogenes L. II. 57. Συνέγραψε δὲ — καὶ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων Πολιτείαν, ἥν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος.

Quinam recentiores, Demetrium haud iniuria secuti, libros de Atheniensium et Lacedaemoniorum republica a Xenophonte abiudicaverint, eos vide apud Bährium in Paulii Thes. v. Xenophon VI. p. 2794 seq.

δεύτερος. Xenophon Atheniensis iunior eiusque frater Pythostratus neque Vossio H. Gr. p. 509 W. neque Mullero F. H. Gr. aliunde noti sunt, pro Πυθοστράτου ut variam lectionem olim attulit H. Stephanus Νικοστράτου; quum autem Menagius dicit se Pythostratum poëtam alibi legere non meminisse, equidem addo, ne altero quidem loco adhuc mihi nomen Πυθόστρατος occurrisse, neque tamen in tantis tenebris hoc nomen reiecerim. Θησηΐδα poëma, a Pythostrati diversum, laudant, nomine auctoris non apposito, Aristoteles de Poëtica c. 8 et Plutarchus Thes. c. 28. Cum Aristotele et Plutarcho conferas Schol. Pind. Ol. X. 83 ubi Δίφιλος ὁ τὴν Θησηΐδα ποιήσας, quem Diphilum satis antiquum poëtam et Aristophane priorem fuisse Meinekius H. Cr. C. Gr. p. 449 ex Schol. Arist. Nub.

96 confecit. His adde fragmentum, soluta oratione conscriptum, quod Stobaeus Florileg. 64. 39 (cf. Plutarch. parall. min. 33) ex Ζωπύρου libro tertio Θησηΐδος servavit. Mullerus F. H. Gr. IV. 533, 6 minus recte ex Stobaeo et Suida v. ψιθυριστῇ, confecit Zopyri quoque Theseïda fuisse poëma.

τρίτος, ἰατρὸς Κῷος. Non mirum, si multi medici ex insula Co, Hippocratis patria, oriundi fuisse dicantur et inter eos unus et alter Xenophon occurrant. Hi tamen religiose discernendi, neque cum Menagio aliisque eum secutis, hic ἰατρὸς Κῷος putandus est fuisse Claudii Caesaris medicus, de quo Tac. Annal. XII, 61 et 67; quicunque tenet se in Demetrii Magnetis ὁμωνύμων catalogis versari, idem videbit, apud Fabricium in Medicorum Catalogo B. Gr. XIII. 453 et a Sprengelio Gesch. d. Arzn. I. 604, etsi a Demetrio has ὁμωνύμων series esse confectas ignorabant, optime Xenophontem τὸν ἰατρὸν Κῷον diversum statui a Xenophonte Claudiano. Xenophon medicus, quem Demetrius novit, librum de externis corporibus partibus scripsit, et non solum ex Erasistrati schola profectus, sed ipsius Erasistrati dissipulus, circa a. 250 a. C. floruerit (Galen. XIV, 700 Kuhn.); eo iunior fuit Apollonius Memphites, discipulus Stratonis Berytii, qui Strato, teste Demetrio Magnete (Diog. L. V. 61), erat μαθητὴς Ἐρασιστράτου, ὡς δέ τινες τρόφιμος. cf. Sprengel. l. l. p. 601.

Quartus Xenophon, qui de Hannibalis rebus gestis egerat et quintus, statuarius, aliunde ignoti sunt; et unde in tanta strage monumentorum veterum, quorum non, ut credi solet, maior pars, sed perquam exigua ad nos pervenit, unde absque Demetrio Magnete inaudivissemus, comoediam antiquam habuisse poëtas Xenophontem et Arcesilaum?

Melius constare potest de quinto Xenophonte, quem tamen adhuc densae tenebrae premunt. Vossius H. Gr. p. 510. W. et Mullerus F. H. Gr. III. 101. τὸν μυθώδη τερατείαν πεπραγματευμένον nonnisi ex Diogene Laërtio cognitum habent, neque

eius meminit Westermannus in praef. ad Paradoxographos neque Gräfenhanius II. § 125—126. qui de multis mythologis multa dederunt. Quam crasso errore Menagius huc traxerit Xenophontem τὸν θαυματοποιόν ab Athenaeo p. 19 memoratum, nemo non videt qui secus atque ille sciat aliud esse θαυματοποιόν, aliud θαυματογράφον. Felicius egeris si huc traxeris alium Xenophontem, incertum adhuc in historia litteraria vagantem. Est Xenophon Lampsacenus; eo Plinius in Naturae Historiis a tertio ad septimum librum usus est, ut in indicibus quoque docet. Xenophontem Lampsacenum, illum ipsum esse Xenophontem, qui Demetrio teste μυθώδη τερατείαν composuit, iam apparere poterit. Plinius VI. 36. p. 417. Bip. haec ex Xenophonte Lampsaceno tradidit: „Contra hoc quoque promontorium Gorgades insulae narrantur, Gorgonum quondam domus, bidui navigatione distantes a continente, ut tradit Xenophon Lampsacenus. Penetravit in eas Hanno imperator, prodiditque hirta feminarum corpora, viros pernicitate evasisse; duarumque Gorgonum cutes argumenti et miraculi gratia in Iunonis templo posuit, spectatas usque ad Carthaginem captam." Solinus c. 60 Plinium presse secutus ait: „prodidit deinde Xenophon Lampsacenus Hannonem, Poenorum imperatorem, in eas (Gorgonum insulas) permeasse, repertasque ibi feminas aliti pernicitate, atque ex omnibus, quae apparuerant, duas captas tam hirto atque aspero corpore, ut ad argumentum spectandae rei duarum cutes miraculi gratia inter donaria Iunonis suspenderit, quae duravere usque ad tempora excidii Carthaginiensis." Ob haec Solinus carpitur a Mullero F. H. Gr. III. 209, quoniam quae Plinius ex Hannone petiisset, ea tamquam Xenophontis narrationem attulerit. Verum Mullerus, scribens Solinum sueta negligentia hic egisse, aliud egit, nam Plinius ex Xenophonte Lampsaceno, minime vero ex Hannone cognoscere potuit, Gorgonum cutes miraculi gratia in Iunonis templo positas, ibidem ad Carthaginem captam spectatas fuisse. Ne dubitemus,

Xenophontem Lampsacenum scripsisse illud ipsum opus, quod Demetrius paucis et luculentis, ut solet, verbis vocat μυθώδη τερατείαν i. e. prodigiorum fabulosorum narrationem, faciunt Valerii Maximi VIII. 3. 7. verba: „Alexander (scil. Polyhistor) vero in eo volumine, quod de Illyrico tractu composuit, affirmat Danthona quendam ad quingentesimum usque annum nulla ex parte senescentem processisse. Sed multo liberalius Xenophon, cuius Περίπλους legitur, is enim Latmiorum regem octingentis vitae annis donavit. Ac ne pater eius parum benigne acceptus videretur, ei quoque sexcentos assignavit annos." Cf. Plinius N. H. VII. 49. Valerius Maximus quum Xenophontis librum Περίπλουν inscriptum fuisse docet, eum alio loco confirmat Plinius IV. 27. p. 291. B., scribens: „Xenophon Lampsacenus a littore Scytharum tridui navigatione insulam esse immensae magnitudinis Baltiam tradit. Eandem Pytheas Basiliam nominat." adde Plin. VI. 36. Mullerus l. l. putat Alexandrum Polyhistorem, ubi hic laudat apud Stephanum Byzantinum v. Ὠρωπός Ξενοφῶντα ἐν ταῖς ἀναμετρήσεσι τῶν ὀρῶν (ita Salmasius pro librorum ὅλων) Xenophontem Lampsacenum, Peripli auctorem laudare; itaque Xenophon Lampsacenus, qui Carthaginem captam novit, una alterave aetate maior fuerit utroque polyhistore, Alexandro et Demetrio Magneti inter sese fere aequalibus. Qui autem factum ut, quum non difficile fuit videre τὸν μυθώδη τερατείαν πεπραγματευμένον esse Xenophontem Lampsacenum, Περίπλου aut Περιηγήσεως quoque auctorem, id tamen principes viros fugerit? Nimirum uterque ea neglexit, quae maximi momenti hic sunt. Vossius ignorabat hos ὁμωνύμων catalogos auctorem habere Demetrium Magnetem, et Mullerus ad tertium F. H. Gr. volumen nondum, sed ad quartum demum in illam Ionsii suspicionem inciderat. Praeterea ut omnes in Historicis Graecis a Vossio, summo viro, pendemus, postquam hic cautius quam accuratius scripserat: „est etiam Xenophon Lampsacenus, geographus, ut videtur," sequiores eum secuti, magnum interval-

lum esse credebant inter geographum et auctorem eius libri, cuius argumentum, non vero titulus, erat *μυθώδης τερατεία*. Illustre nobis et luculentum exemplum vel unus Nymphodorus Syracusanus est: huius Xenophonte Lampsaceno antiquioris scriptoris opus *περὶ θαυμαζομένων*, et ipsum erat *μυθώδης τερατεία* et titulum Περίπλοι habebat, (Muller. F. H. Gr. II. 375 seqq.) neque tamen Nymphodorus geographus fuit aut ab ullo habitus est. Denique errore errorem gignente, quum Plinius IV. 27. Xenophonti Pythean verbis, sed non re, coniungebat, hos forte aequales fuisse Ukertus Geogr. I. p. 122, ex Plinii loco se non extricans, et Ukertum secutus Forbigerus Handb. d. Geogr. I. p. 161. crediderunt.

O.

ΟΝΗΣΙΚΡΙΤΟΙ.

Diogenes L. VI. 84. *Ὀνησίκριτος· τοῦτον οἱ μὲν Αἰγινήτην, Δημήτριος δ' ὁ Μάγνης Ἀστυπαλαιᾶ φησὶν εἶναι.*

Consentit cum Demetrio Aelianus Hist. Anim. XVI. 39 Onesicritum Astypalensem testem afferens et ipse iam a Menagio allatus. Diogenes Laërtius, nisi si eum in Demetrio aut in Diogene nos exemplarium vitium ludit, neglexit exscribere Onesicrito *ὁμωνύμους*, quosnam aut quemnam noverit Demetrius, nunc qui dicat, magnus erit Apollo.

Π.

ΠΑΡΜΕΝΙΔΑΙ.

1. Parmenides Eleata.

Diogenes L. IX. 23. *Γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Παρμενίδης, ῥήτωρ τεχνογράφος.*

ΠΙΤΤΑΚΟΙ.

1. Pittacus Mytilenaeus.

Diogenes L. I. 79. Γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Πιττακὸς νομοθέτης, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ καὶ Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις, ὃς καὶ μικρὸς προςηγορεύθη.

ΠΛΑΤΩΝΕΣ.

1. Plato.

Diogenes L. III, 109. Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Πλάτων φιλόσοφος Ῥόδιος, μαθητὴς Παναιτίου, καθά φησι Σέλευκος ὁ γραμματικὸς ἐν πρώτῳ περὶ φιλοσοφίας. καὶ ἄλλος περιπατητικός, μαθητὴς Ἀριστοτέλους· καὶ ἕτερος Πραξιφάνους καὶ ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής.

Wyttenbachius in Disput. de Panaet. p. 57. Panaetii discipulos recensens, Platonem Rhodium Stoicum nonnisi ex Demetrio Magnete cognovit. Duo subsequentes philosophi ambo peripatetici fuerunt, Praxiphanes enim, alterius praeceptor, Theophrasti discipulus et ipse inter nobiles fuit peripateticos. (vide Prellerum in Paulii Thes. VI. p. 36.)

Σέλευκος. Mullerus F. H. Gr. III. 500 male ad hunc traxit Seleucum Tiberio aequalem; ita lapsus est cum Reinesio (cf. Westerm. ad Vossii H. Gr. p. 497), quod eo tempore nondum in illam suspicionem inciderat, ὁμωνύμων catalogos confectos esse ab viro Ciceronis aequali; nunc certe malet assentiri Schmidtio, qui, ut me docuit Bährius (Paulii Thes. VI. 943 seq.), statuit nobilem grammaticum Seleucum τὸν Ὁμηρικὸν floruisse inter 640—650 u. C. 114—104 a C.; quod ut statueret Schmidtius, cuius ipsam disputationem non potui adire, non usus videtur hoc Platonum catalogo, nam ut ceteri credens eum a Diogene confectum esse, ad seriorem Seleucum librum περὶ φιλοσοφίας imprudens traxit. Verum quam recte Seleucus ὁ

γραμματικός, Cratete Mallota iunior (Athen. 367. Harpocr. v. *Ὁμηρίδαι*), dicatur circa a. 104 a. C. floruisse nunc apparet; quum enim Panaetius 70 fere annos natus circa 112 a C. (Wyttenb. p. 49) mortuus fuerit, huius discipulus Plato ac Seleucus eadem tempora attigerint, et Demetrius Magnes, ut Cicero utroque una alterave aetate iunior, celebrem grammaticum testem de parum nobili Panaetii discipulo optime laudaverit.

ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής. Platonem Comicum, si aetatem spectes ad *ἀρχαίαν κωμῳδίαν* pertinere, si novissimarum fabularum argumenta, ad mediam quoque haud male deinde a grammaticis relatum esse, ostendit Cobetus Obs. de Plat. Com. p. 114 seqq.

Plato Cynicus et Plato Comicus iunior nunquam fuere, ut iamdudum animadversum. vide Casaubonum ad Diogenem Laërtium VI. 26 et Bernhardium ad Suidam v. Πλάτων II. II. p. 297.

Hic non visitur Plato Sardianus Epicureus, Ciceroni aequalis, eumque supra, p. 20 attigimus.

ΠΡΩΤΑΓΟΡΑΙ.

1. Protagoras Sophistes.

Diogenes L. IX. 56. *Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Πρωταγόρας, εἰς ὃν καὶ Εὐφορίων ἐπικήδειον ἔγραψε· καὶ τρίτος στωικὸς φιλόσοφος.*

Quod ad *ἐπικήδειον* Euphorionis Chalcidensis in Protagoram astrologum, Meinekius Anal. Alex. p. 21 et p. 101 suspicatur, versus Euphorionis, quos servavit Stob. Flor. CXXIII (imo CXXIV.) 12, ex hoc epicedio derivatos esse.

Muller F. H. Gr. IV. 485 inter scriptores incertae aetatis recensens Protarchos in fine dicit: „de Protarcho geographo qui *γεωμετρίαν τῆς οἰκουμένης* libris sex composuit, suo dicemus loco" i. e. ut ex praefatione p. II ad vol. IV. F. H. Gr. liquet, in Geographis Minoribus. Non patet quid Mullerum moverit, ut auctorem *γεωμετρίας τῆς οἰκουμένης* vocaret Protarchum; Photius cod. 188

unde sua Mullerus habet, γεωμετρικῶν scriptorem vocat Protagoram, et vir summus in F. H. Gr., memoria lapsus ipse postea recte in proll. ad Geogr. Min. p. CXXXII de Protagora tantum loquitur. Quaeritur autem an ἀστρολόγος, Euphorionis aequalis, idem sit, ac γεωμετρικῶν auctor. Licet et de astrologo plura nesciamus nec de aetate γεωμετρικῶν auctoris constet, tamen longe diversi sunt habendi, quum geometra diu post Christum vixerit. Strabo eum non novit, quem si novisset, utilis operis huius Protagorae meminisset: Protagoras in suis libris locorum intervalla ita notavit, ut maximum numerum et minimum stadiorum notaret, qui inter binos locos ex variis opinionibus intercedebant. (Marcian. Her. II. 5). Neque eum memorat Ptolemaeus, et prima demum Protagorae mentio exstat apud Marcianum Heracleotam, saeculi quinti p. Chr. scriptorem, (Geogr. Min. ed. Mull. I. prol. p. CXXXII seqq.). Hic se sua potissimum hausisse ait in prooemio peripli Maris Externi ἐκ τῆς γεωγραφίας τοῦ θειοτάτου καὶ σοφωτάτου Πτολεμαίου ἔκ τε τῆς Πρωταγόρου τῶν σταδίων ἀναμετρήσεως (cf. Phot. cod. 188, 189 Tzetzes Chil. VIII. 647), et quum Marcianus Ptolemaeo Protagoram, ubi utrumque nominat, postponit (Marc. II. 2), probanda est Mulleri opinio, ex qua Protagoras post Ptolemaeum vixerit et eius geographia Ptolemaei operi superstructa fuerit.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕΣ.

Harpocration, Ἄκη, πόλις αὕτη ἐν Φοινίκῃ. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Κάλλιππον. ἣν Νικάνωρ ὁ περὶ μετονομασιῶν γεγραφὼς καὶ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ὑπομνήμασι τὴν νῦν Πτολεμαΐδα καλουμένην φασὶν εἶναι. Δημήτριος δὲ ἰδίως τὴν ἀκρόπολιν τῆς Πτολεμαΐδος πρότερον Ἄκην ὠνομάσθαι φησίν.

De Demosthene vide Valesium apud Bekkerum ad. h. l.; vide Mullerum F. H. Gr. III. 633. — Harpocrationis locus detortus

et in brevius contractus legitur in codice Palatino; codex Palatinus, Suidas v. Ἄκη, Bachmanni Anecd. I. p. 53 et Bekkeri Anecd. I. 364 habent: *Ἄκη, πόλις αὕτη ἐν Φοινίκῃ. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Κάλλιππον. (ἣν) οἱ μὲν τὴν νῦν Πτολεμαΐδα οὕτω πάλαι φασὶν ὀνομάζεσθαι. Δημήτριος δὲ οὐ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν ταύτης ἀκρόπολιν.* Bachmannus in eadem *συναγωγῇ*, ubi v. Ἄκη laudabatur Δημήτριος, invenerat v. Ἀδράστεια (cf. Harporration. v. Ἀδράστεια) Δημήτριος ὁ Σκήψιος, et ratus etiam v. Ἄκη eundem Demetrium testem citari, in Indice ad calcem operis adiecto unum Demetrium Scepsium sub. v. Ἄκη et Ἀδράστεια laudavit. Eum secutus idem fecit Bekkerus in Indice Anecdotorum III. p. 1442; postea vero in Harpocratione non ad Demetrium Scepsium, sed ad Magnetem, quae sub v. Ἄκη narrantur traxit. Bekkerus in eundem errorem induxit Mullerum, qui F. H. Gr. IV. 382 Indicem Anecdotorum secutus, eundem locum ad Ἄκην pertinentem inter Demetrii Scepsii fragmenta posuit, mox ex Indice Harpocrationis Demetrio Magneti tribuit. Demetrio Magneti haec de Ἄκη et Πτολεμαΐδι, cui urbi plures notissimaeque *ὁμώνυμοι* erant, tribuere licet, at fieri potest, ut ante Demetrium Magnetem Scepsius eadem in grandi et praeclaro suo opere attigerit, aut alibi aut eo loco, ubi de Attica phyle Ptolemaïde locutus erat: Harpocration, v. Θυργωνίδαι. *Φησὶ δὲ καὶ Δημήτριος ὁ Σκήψιος ἐν β' Διακόσμου τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς τὸν δῆμον εἶναι.* Possis suspicari Demetrium Scepsium, de hac Attica phyle, quae a Ptolemaeo Philadelpho nomen accepit, locutum, eadem opportunitate attigisse Ἄκην, novo nomine a Ptolemaeo Lagi filio, ut videtur, donatam.

Huius per omnem historiam celeberrimae Ptolemaidis et nominis Aces Demetrius Magnes meminerit sub Ptolemaidibus, ἡ Ἄκη cognomines non habebat, neque nomen Graecum erat; quomodo *οἱ μυθολογοῦντες μᾶλλον ἢ ἱστοροῦντες* cum Ἄκη composuerint verbum *ἀκεῖσθαι*, docebit Stephanus Byz. v. Πτο-

λεμαῖς, et horum simile quid Pausanias VIII. 34. 2 de Arcadico loco τὰ Ἄκη dicto.

Quod Ἄκη dicatur proprie arcis nomen olim fuisse, Forbigerus II. 671 n. 99, recte videns dubii aliquid in his inesse, quum veteres reliqui urbem ita vocatam esse dicerent, ita haec explicat, ut hoc loco idem atque in aliis multis obtinuerit et dum urbs mutaverit nomen, arci manserit. Praeterea incertum a quonam Ptolemaeo Ace novum nomen acceperit, Forbigerus l. l. probabiliter suspicatur, Ptolemaeum Lagi filium, qui Coelesyriam diu tenuerit, intelligendum esse; forte Ptolemaeus Ἄκην, quam Diodorus Sic. XIX. 93 a Ptolemaeo Lagi filio dirutam dicit, post pugnam ad Ipsum, urbi alio in loco restitutae novum nomen imposuerit et, ut saepe fiebat, veteris urbis nonnisi arx manserit. Accentus denique in Ἄκη fluctuat: Bekkerus ad Harpocrationem ὀξυτόνως edidit Ἀκὴ, Strabo (ed. Kramer) et Stephanus Byz. (ed. Meineke) habent βαρυτόνως, et hoc verum est, nam Stephanus Byz. hic ex vetere grammatico, forte ex Herodiano, monuit, τὰ εἰς κη λήγοντα δισύλλαβα ἐπὶ πόλεων ἢ χωρῶν βαρύνεσθαι, et indidem in fine addidit τὸ ἐθνικὸν Ἀκαῖος, ὡς Βαρκαῖος; igitur ut Βάρκη sic et Ἄκη. vide Steph. B. v. Βάρκη et Arcadium ed. Barkerus p. 106. v. 17—27.

ΠΥΘΑΓΟΡΑΙ.

Diogenes L. VIII. 46—47. *Γεγόνασι δὲ Πυθαγόραι τέτταρες περὶ τοὺς αὐτοὺς χρόνους, οὐ πολὺ ἀπ' ἀλλήλων ἀπέχοντες· εἷς μὲν Κροτωνιάτης, τυραννικὸς ἄνθρωπος· ἕτερος Φλιάσιος, σωμασκητής, [ἀλείπτης, ὥς φασί τινες]· τρίτος Ζακύνθιος· τέταρτος αὐτὸς οὗτος, οὗ φασιν εἶναι τἀπόρρητα τῆς φιλοσοφίας· [αὐτῶν διδάσκαλος·] ἐφ' οὗ καὶ τὸ Αὐτὸς ἔφα παροιμιακὸν εἰς τὸν βίον ἦλθεν. οἱ δὲ καὶ ἄλλον ἀνδριαντοποιὸν Ῥηγῖνον γεγονέναι φασὶ Πυθαγόραν, πρῶτον δοκοῦντα ῥυθμοῦ καὶ συμμετρίας ἐστοχάσθαι· καὶ ἄλλον ἀνδριαντοποιὸν Σάμιον· καὶ ἕτερον ῥήτορα μοχθηρόν.*

καὶ ἰατρὸν ἄλλον, τὰ περὶ κήλης γεγραφότα καί τινα περὶ Ὁμήρου συντεταγμένον· καὶ ἕτερον Δωρικὰ πεπραγματευμένον, ὡς Διονύσιος ἱστορεῖ. In Pythagorarum serie singulare aliquid obtinet. Etenim Diogenes significare videtur, se ex auctore non uno haec de Pythagoris hausisse; iam licet propter eius inconcinnam et neglectam orationem, hoc loco, ut saepe alibi, difficilis res sit elicere, quid sibi voluerit, aut quid statuendum sit, tamen omnes, quos hic videmus, Pythagorae a Demetrio Magnete in opus recepti ibique recensiti fuerint. Ut nunc se res habet, alius auctor quatuor priores Pythagoras, alius sex reliquos Diogeni suppeditasse videtur; de sex postremis nulla dubitatio est, quin uni Demetrio debeantur: perpetua illa argumenta, quae in ceteris ὁμωνύμων catalogis, hic quoque valent, nullum Demetrio iuniorem, praeterea scriptores recenseri; denique ipsum Demetrium agnoscimus, qui intima litteraturae penetralia perscrutatus diligenter diversa distinguebat. Sed ne quatuor priores quidem a Demetrio omissi fuisse putandi sunt: primus, tyrannus Crotionata, utrum quid scripsisse perhibeatur nec ne, solus ignoratur, ad Phliasium athletam, ad Zacynthium musicum quaedam scripta referuntur, etsi forte non meliore iure quam illa, quae ad philosophum. Cf. Ionsium IV. p. 263 seq. Quae Demetrius de his quatuor coaetaneis scripsisset, ea flosculis quibusdam adauxerit, (non dico uncinis inclusa) et in suam παντοδαπὴν ἱστορίαν transtulerit Favorinus, cuius octavum librum statim, hoc catalogo exscripto, Diogenes Laërtius sublaudat. Favorinus vitas philosophorum conscribens, ex Demetrio Pittacos transscripsit, (Diog. L. I. 79) atque ex eodem, et alia multa et illa, quae ad ipsum Pythagoram eiusque aequales pertinebant, hauserit. Quibus ex Favorino descriptis, Diogenes, ubi eum ille defecit, ad Demetrium rediit.

Ῥηγῖνος. Hic per se satis antiquus iure segregatur a philosopho, quo compluribus Olympiadibus iunior erat. Philosophus mortuus est intra Ol. 67, 1 et 72, 4 (Bentley Resp. ad Boylium

p. 26 seq. Lenn.), Rheginus floruit Ol. 87. cf. Plin. N. H. XXXIV. 8, Ions. IV. 264. Walz. in Paulii Thes. VI. p. 330.

Καὶ ἰατρός. Pro *κήλης* alii codices habent *κίλλης* et *σκύλλης*. Hinc et ex Plinio Muretus V. L. IX. 20. f. restituit *περὶ σκίλλης*. Mureti emendationem stabilit et Galenus. Hic de herniis scribens, nullum Pythagorae librum novit, contra *περὶ σκίλλης* locutus, Pythagoram affert (Galenus de remediis parabil. III. XIV. p. 567) Kuhn.). Mureti emendationem Casaubonus amplexus est; Reinesius et cum eo Menagius respuerunt, eo argumento scilicet, quod Plinius N. H. XIX. 30, XX. 39 de philosopho, Laërtius de alio medico loquatur. Quam leve et inane istud argumentum esset, Muretus et Casaubonus optime sciebant. Iam quum apud Galenum quoque, haud secus atque a Plinio, haec *περὶ σκίλλης* ad philosophum referantur, quumque ad nullum novissimorum patriae nomen addatur, ipse forte Demetrius scripsit illa *οἱ δὲ — φασι*, eo sensu ut diceret, esse quaedam scripta, quorum singulorum auctorem vocari solitum esse Pythagoram, eaque tamen ad philosophum quidem non posse referri.

καί τινα περὶ Ὁμήρου συντεταγμένον. Versio latina editionis Didotianae et Bährius in Paulii Thes. VI. 330 haec verba trahunt ad eundem, qui de scilla scripsit; multo melius, ut vel duo participia *γεγραφότα* et *συντεταγμένον* ostendunt, olim Ionsius IV. p. 265 et Fabricius B. Gr. I. p. 459 ed. 1ae viderunt, non unum, sed duos Pythagoras hic esse, et *καί τινα* non ac quaedam, verum ac quendam verti oportere.

Καὶ ἕτερον Δωρικὰ πεπραγματευμένον, ὡς Διονύσιος ἱστορεῖ. Ad hunc, aeque ignotum ac Dionysius, Vossius, forte credens *Δωρικὰ πεπρ.* significare eum qui Dorice scripsit, male traxit Pythagoram, qui *περὶ Ἐρυθρᾶς θαλάσσης* scripsisse dicitur. Hunc Vossii errorem Geierus (de Hist. A. M. p. xx) recte corrigens, ipse alio errore tenetur. Nam quum aliis locis Pythagoras, aliis Orthagoras *περὶ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης* laudatur, imprudens conatur pro Orthagora reponere Pythagoram; id facere

ausus est in duobus locis, apud Strabonem et apud Philostratum; verum apud tertium, Aelianum Hist. Anim XVI. 35, eum iam defecit animus, et rem reliquit, qualem invenerat. Parum curabat in eodem Philostrato, quem tentabat, Photium, a se laudatum, iam invenisse Ὀρθαγόρᾳ (Phot. cod. 241 p. 327 B), neque observabat, licere quidem nomini trito, ut Πυθαγόρας substituere insolentius Ὀρθαγόρας, non vero putandum esse rarius nomen successisse communi; prudentius egit Mullerus (Geogr. Min. I. p. LX) duos auctores, unum, Pythagoram, alterum, Orthagoram statuens, additque Pythagoram illum natu maiorem fuisse Euphorione (Athen. 634); verum ille Pythagoras numquam fuit: ignorant eum duo graves auctores, Demetrius Magnes et Strabo, qui, si fuisset, eum memorare debuissent, nam, Pythagoras, ut quidem adhuc apud Aelianum H. An. XVII. 9 dicitur, Cratete Pergameno antiquior fuit. Strabo p. 766 de mari rubro locutus, novit tantum Orthagoram, quem cum Nearcho, Alexandri Magni coaetaneo coniungit, haud aliter atque Aelianus H. A. XVI. 6 a quo loco Geierus manum fauste abstinuit, cum Orthagora coniungit Onesicritum, eiusdem Alexandri ἀρχικυβερνητήν. Quod Athenaeus et Plinius habent Pythagoras, aut illos aut nos ludificantur librarii; ne Plinius quidem, qui ex Iuba illum Pythagoram, Ptolemaei regis i. e. Lagidae praefectum attulit, negasset suos Iubae codices ab omni labe immunes fuisse, cf. Plin. N. H. VI. 36. De Orthagora vide Olearii notam ad Philostrati vitam Apoll. III. 53, et I. Vossium ad Pompon. Melam III. 8.

Σ.

ΣΙΜΩΝΕΣ.

1. Simon Atheniensis, ὁ Σκυτοτόμος.

Diogenes II. 123. Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Σίμων ῥητορικὰς

τέχνας γεγραφὼς καὶ ἕτερος ἰατρὸς κατὰ Σέλευκον τὸν Νικάνορα· καί τις ἀνδριαντοποιός.

Rhetor et medicus aliunde ignoti. Quum proclivi errore Σῖμος et Σίμων confundantur, etiamnunc in Strabone p. 648 C. (ed. Kramer) Σίμων ὁ μελοποιός male pro Σῖμος legitur.

τὶς ἀνδριαντοποιός. Nullus alius est, quam antiquus ille Simon, qui equos ex aere fudit, primusque de equitatu scripsit (Plin. N. H. XXXIV. 8). Laudat eum ipse Xenophon initio libri de re equinaria, a quo loco sequiores testes pendent; Demetrius statuarius, qui huius equitis Simonis statuam fecit (Plin. l. l.), is est, quem apud Polemonem invenerat Demetrius Magnes (vide Demetriorum seriem); et idem Polemo ἔν τινι ἐπιστολῇ, teste Clemente Alex. Protr. p. 31 S., hunc Simonem, Eupalami filium memoraverat. Hinc cum Mullero Aegin. p. 104 apud Zenobium V. 13 pro Σιμμίου corrige Σίμωνος; in Silligio C. Art. p. 420 pleraque confusa sunt. Simonis liber, βιβλίον θαυμάσιον, nactus est titulum ἱπποσκοπικὸν aut ἱππιατρικά. cf. Suidam v. Ἄψυρτος, Κίμων, Tzetzen Chil. IV. 483, in quibus tribus locis Σίμων pro Κίμων restituendum, ut recte scriptum exstat apud eundem Suidam v. Σίμων, Τρίλλη, Clementem Al. VII, 323 S. et apud Pollucem I, 190, 194, 198, 204, II, 69, ubi hic Simon testis de equis laudatur. cf. Fabric. B. Gr. VI, 499 ed. 1ae. Cum Polluce II. 69 compone Arrianum Exp. Al. VII. 10 et apud Arrianum pro Νίκωνος, de coniectura pro Κίμωνος reposito, lege Μίκωνος. Mico pictor, Polygnoto aequalis, vixit circa Ol. 80, unde Simonis quoque tempora discimus. Confirmat hoc Pausanias V. 27. 2. De Micone Amazonumque pugna adi Scholl. Arist. Lys. 679, Sillig. C. A. p. 275 seq. Vetus Simon, a sequioribus Atheniensis dictus, non diversus fuit a Simone Aegineta, de cuius aeneo equo Pausanias l. l. quaedam narrat, et nihil habet commune, ut absurde credebat Reinesius (cf. Suid. v. Σίμων ed. Bernh.), cum Simone, quem ob rapacitatem exagitat Aristophanes in Nubb. 351, 398.

Denique statuarium a Demetrio Magnete memoratum, esse ipsum eum Simonem, qui et equos fecit et de equitatu primus scripsit, unusquisque videt, qui Demetrium scriptores tantum recensere tenet.

ΣΠΕΥΣΙΠΠΟΙ.

1. Speusippus, Platonis in Academia successor.

Diogenes L. IV. 5. Γέγονε Σπεύσιππος καὶ ἕτερος, ἰατρὸς Ἡροφίλειος Ἀλεξανδρεύς.

Noli cum Menagio ad ignotum medicum referre Ὅμοια, sub Speusippi nomine viginti fere locis ab Athenaeo laudata. Liber physici argumenti erat et discrimen similium herbarum, piscium, avium explicabat: convenit medico, convenit philosopho; medico ne tribuatur, facit non tantum Diogenes IV. 5, qui inter philosophi libros recenset decem διαλόγους τῶν περὶ τὴν πραγματείαν ὁμοίων et διαιρέσεις καὶ πρὸς τὰ ὅμοια ὑποθέσεις, sed etiam facit Athenaeus qui nusquam Σπεύσιππον τὸν ἰατρὸν aut τὸν Ἡροφίλειον laudavit.

ΣΤΡΑΤΩΝΕΣ.

Diogenes L. V. 61. Γεγόνασι δὲ Στράτωνες ὀκτώ· πρῶτος Ἰσοκράτους ἀκροατής· δεύτερος αὐτὸς οὗτος· τρίτος ἰατρός, μαθητὴς Ἐρασιστράτου, ὡς δέ τινες, τρόφιμος· τέταρτος ἱστορικός, Φιλίππου καὶ Περσέως τῶν Ῥωμαίοις πολεμησάντων γεγραφὼς πράξεις· **ἕκτος ποιητὴς ἐπιγραμμάτων· ἕβδομος ἰατρὸς ἀρχαῖος, ὡς Ἀριστοτέλης φησίν· ὄγδοος περιπατητικός, βεβιωκὼς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.

Quintus Strato excidit neque difficile excidit, nam ut sextus, poeta fuit et Demetrius Magnes in eodem genere studiorum versatos coniunxit. Est κωμῳδίας ποιητής, quem ex Athenaeo p. 382 et Suida v. Στράτων Meinekius H. Cr. C. Gr. p. 427

et 235, optimis argumentis nisus, demonstravit, novae comoediae poetam fuisse et floruisse circa tempora Philetae Coi. Meinekio hic quidem non usus, fluctuat Gräfenhanius I. p. 533.

τρίτος. Hic, Strato Berytius, vixit initio saeculi tertii a. C. et aequalis fuit Stratonis Lampsaceni. Erasistratus mortuus est a⁰. 258 a. C. ut ex Eusebio ad h. a. aliisque indiciis colligo. Non inter paucos discipulos, praeceptoribus praestantes, erat Strato Berytius. cf. Sprengel. Gesch. d. Arzn. I, 600.

Qui memoratur Strato, *περὶ εὑρημάτων* scriptor, is non est peripateticus ignotus, Alexandriae degere solitus, quod volebat Voss. H. Gr. p. 172, sed Lampsacenus, ut demonstravit Mullerus F. H. Gr. II. 369.

ποιητὴς ἐπιγραμμάτων. Reliquis plane ignotis Stratonibus adnumerandus.

ΣΩΚΡΑΤΕΙΣ.

I. Socrates.

Diogenes L. II. 47. *Γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Σωκράτης, ἱστορικός, περιήγησιν Ἄργους γεγραφώς· καὶ ἄλλος περιπατητικός, Βιθυνός· καὶ ἕτερος ἐπιγραμμάτων ποιητής· καὶ ὁ Κῷος, ἐπικλήσεις θεῶν γεγραφώς.*

Peripateticus Bithynus parum notus. De epigrammatario vide Bährium in Paulii Thes. VI. p. 1249. De reliquis meliora quam Westermannus et Bährius, suppeditabit Mullerus F. H. Gr. IV. 496—503: quum Westermannus (in Paulii Thes. l. l.) fluctuat, utrum *τὰ Κρητικὰ* habuerint auctorem Sosicratem an Socratem, Mullerus p. 500 iure *Σωσικράτη* tantum agnovit; id alii loci confirmant et Demetrius Magnes, cuius auctoritate Mullerus ad fragm. H. Gr. nondum usus fuit. *Κρητικῶν* auctor, Apollodoro antiquior (Strabo p. 474), si Socrates fuisset appellatus, a Demetrio hic non praetermissus, neque inter Sosicrates receptus fuisset.

Socrates Rhodius historicus, qui in libro *περὶ ἐμφυλίου πο-*

λέμου de Antonio et Cleopatra, post a. 30 a. c. scripsit, cf. Athen. p. 147. Muller. F. H. Gr. III. 326) in hac serie non visitur, et nisi forte eius etiam nomen ex Sosicrate est corruptum (cf. Sosicrates Rhodius, *Διαδοχῶν* scriptor; Muller III. 501. Westermann. in Paulii Thes. VI. p. 1329) testimonio sit nos Demetrii Magnetis *ὁμωνύμων* catalogos terere.

Ad titulum *ἐπικλήσεις θεῶν* vide Stephani Thes. Ling. Gr. v. *ἐπικλήσεις*, Schweighäus. ad Athen. p. 111, Lobeckium, Aglaoph. p. 402, ubi locus Herodiani *περὶ μονήρ. λέξ.* p. 6 et K. Lehrsium ad Herodianum.

T.

ΤΙΜΩΝΕΣ.

1. Timon Phliasius, *ὁ Σιλλογράφος.*

Diogenes L. IX. 112. *Γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Τίμων, ὁ μισάνθρωπος.*

Timones inter Demetrii Magnetis fragmenta ponere dubitavi; quominus vero ponamus non obstat, quod in Timonis Phliasii vita Diogenes Demetrium testem non laudavit, sed Timon, hominum osor, etsi homo minime rudis, ne iis philosophis quidem, a Demetrio recensitis, adnumerandus est, qui nulla scripta reliquerunt. Incertum quoque an eum Demetrius habuerit poëtam ob epigramma, quod Plutarchus in Antonio c. 70. ex Neanthe Cyziceno ut videtur, hausit et de quo caute dixit: „*καὶ τοῦτο μὲν αὐτὸν (τὸν Τίμωνα) ἔτι ζῶντα πεποιηκέναι λέγουσι.*" cf. Scholl. Ar. Lys. 808. Muller F. H. Gr. III. p. 2—5. Neque asseverare ausim iam Aristophanem ad ipsum illud epigramma allusisse quum Timonem vocaret *Ἐριννύων ἀπορρώξ*. Ab altera parte, Diogenes nullo alio loco nisi in Timonis Phliasii vita *ὁμώνυμον* misanthropum memorat, et nonnisi solemni formula *Γέγονε*, etc. adhibita, post quam formulam de more statim redit ad alia omnia i. e. ad eum, cuius vitam

describebat, ut ostendunt verba ὁ δ' οὖν φιλόσοφος. Haec enim non ad Misanthropum trahenda, sicut fecit Menagius, nescius Diogenem particulas δὲ, οὖν, μέντοι, δὴ ibi orationi suae interponere, ubi ab aliis ad alia transgreditur, aut ad superiora revertitur.

Φ.

ΦΙΛΟΛΑΟΙ.

Philolaus Crotoniata Pythagoreus. Diogenes L. VIII. 85. τοῦτόν φησι Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις πρῶτον ἐκδοῦναι τῶν Πυθαγορικῶν περὶ φύσεως, ὧν ἡ ἀρχὴ ἥδε· „Φύσις δ' ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη ἐξ ἀπείρων τε καὶ περαινόντων καὶ ὅλος ὁ κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα."

Magna lis est, an Plato in componendo Timaeo aliisque dialogis expilarit Philolai tres libros de rerum natura, quos per Dionem suum nactus esset. cf. Cic. de Rep. I. 10, Groen v. Pr. Pros. Plat. p. 64—66. Eo crimine ei ab Aristoxeno posteaque a Timone sillographo obiecto (cf. Menagium), Platonem teneri non prorsus negat Valckenaerius, in diatribe de Aristobulo p. 65 et 78; negat et inter Peripateticorum calumnias reiicere conatur Luzacius in Lectt. Att. p. 195 seqq. et p. 241. Post hos viros peculiariter de Philolao egit Boeckhius. Denique Groen v. Pr. Pros. Plat. p. 57—70 copiose ostendit, qui Plato in omni fere philosophiae parte Pythagoreos plurimum secutus sit. De Philolao Crotoniata vide Bährium in Paulii Thes. V. p. 1521 seq.

Denuo omisit Diogenes ὁμωνύμους exscribere. Hic melius quam in Onesicrito Isaeoque res nobis cedit: unus certe Philolaus superest, cui suum in Demetrio locum reddere liceat. Hic ἀρχαῖος πάνυ Corinthius, ex nobilissima Bacchiadarum gente ortus, post Ol. 13. leges scripsit Thebanis. cf. Aristot. Polit. II. 9. 6, Euseb. Chron. I. p. 413. in Paulii Thes. l. l. allatos.

Denique in Diogenis Laërtii loco supplendum est *τὰ περὶ φύσεως*, ut subsequens *ὧν* ostendit.

X.

ΧΡΥΣΙΠΠΟΙ.

1. Chrysippus, Stoicus. Diogenes L. VII. 185—186. *Δοκεῖ δ' ὑπερόπτης τις γεγονέναι. τοσαῦτα γοῦν συγγράψας οὐδενὶ τῶν βασιλέων προςπεφώνηκεν. ἠρκεῖτο τε γρᾳδίῳ μόνῳ, καθὰ καὶ Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις φησί. Πτολεμαίου τε πρὸς Κλεάνθην ἐπιστείλαντος ἢ αὐτὸν ἐλθεῖν ἢ πέμψαι τινά, Σφαῖρος μὲν ἀπῆλθε, Χρύσιππος δὲ περιεῖδε. μεταπεμψάμενος δὲ τοὺς τῆς ἀδελφῆς υἱεῖς Ἀριστοκρέοντα καὶ Φιλοκράτην, συνεκρότησε. καὶ πρῶτος ἐθάρρησε σχολὴν ἔχειν ὕπαιθρον ἐν Λυκείῳ, καθάπερ καὶ ὁ προειρημένος Δημήτριος ἱστορεῖ.*

Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Χρύσιππος Κνίδιος ἰατρός, παρ' οὗ φησιν Ἐρασίστρατος εἰς τὰ μάλιστα ὠφελῆσθαι. και ἕτερος υἱὸς τούτου, ἰατρὸς Πτολεμαίου, ὃς διαβληθεὶς περιήχθη καὶ μαστιγούμενος ἐκολάσθη· ἄλλος μαθητὴς Ἐρασιστράτου, καί τις Γεωργικὰ γεγραφώς.

Ob Chrysipporum certe seriem in adnotata ad Ὁμωνύμων indiculos torqueri non poterit Callimacheum illud *μέγα βιβλίον, μέγα κακόν.* Paucis enim hic defungendum, quum Chrysippos curiose conquisiverit, conquisitosque illustraverit Ionsius II. p. 178—189 et ex Ionsio, quae ad Chrysippos medicos spectant, ea paucis aucta in Catalogum Medicorum transtulit Fabricius B. Gr. XIII. p. 119 seqq. Ne multa aliena ad tres medicos traherentur, ipse Demetrius Magnes cavit, et memorando medicorum nobilissimo Erasistrato, in quo hic rei cardo versatur, clare distincteque singulorum tempora indicavit, quumque ceteri hic memorati aliunde parum noti sunt, Chrysippi Cnidii memoria apud alios quoque superest. Hic, cuius disciplina

Erasistratum maxime usum fuisse ex Erasistrati scriptis Demetrius et Galenus, de venaes. adv. Eras. Rom. deg. c. 2 (XI. 197. Kuhn) cognoverant, ipse auditor fuit popularis sui Eudoxi Cnidii. Quum Eudoxus, Archytae discipulus et ipse Pythagoreus fuerit atque ea, quae erant de diis, de mundo, de coelestibus Chrysippum docuerit, (Diog. L. VIII. 86 et 89) Chrysippus Cnidius iure refertur inter Pythagoreos (cf. Sprengel Gesch. der Arzn. I. 472). Iamblichus igitur in vita Pythag. § 267. Pythagoreos enumerans, aut vitiosis libris deceptus fuerit, quum scriberet Κορίνθιος· Χρύσιππος, aut ipse, ut certe debebat, dederit Κνίδιος· Χρύσιππος.

Chrysippus Cilix medicus qui fingitur (Fabric. B. Gr. XIII. 115. Bähr. Paulii Thes. II. 350), nunquam fuit et nemo alius est, quam Chrysippus Stoicus, Solis in Ciliciae urbe, natus. Eum Galenus odiose Cilicem appellavit, quod γένει vix Graecus ipsos Graecos, quasi ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν, dialecticam verborumque significationem, quae omnia, ut notum, Stoicis in deliciis erant, docere voluerit. cf. Galen. VIII. 631, 642 ed. Kuhn.

THESES.

I.

Sophocles Oed. R. 8. ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος. expungendus est.

II.

Ibid. 48. ἴθ', εὐλαβήθηθ' ὡς σὲ νῦν μὲν ἥδε γῆ
σωτῆρα κλῄζει τῆς πάρος προθυμίας.

Lege προμηθίας.

III.

Euripides Phoen. 1013—1018. Hi versus aliunde huic tragoediae postea adscripti sunt.

IV.

Aristophanes Pax 602.

ὦ σοφώτατοι γεωργοί, τἀμὰ δὴ ξυνίετε,

pro σοφώτατοι restituendum est λιπερνῆτες.

V.

Id. Aves 608.

Επ. παρὰ τοῦ;

Π. παρὰ τοῦ; παρ' ἑαυτῶν.

pro posteriore παρὰ τοῦ; lege παρ' ὅτου;

VI.

Ibid. 720. *Φήμη γ' ὑμῖν ὄρνις ἐστί,*
Lege *Φήμη θ' ὑμῖν ὄρνις ἔστω.*

VII.

Ibid. 1589—1595.

Οἰκέτης. ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ
Πισθέτ. καὶ μὴν τά γ' ὀρνίθεια λιπάρ' εἶναι πρέπει.
'Ηρακλ. ἡμεῖς τε γὰρ πολεμοῦντες οὐ κερδαίνομεν, κ. τ. ἑ.

Lege:

Πισθέτ. ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ
'Ηρακλ. καὶ μὴν τά γ' ὀρνίθεια λιπάρ' εἶναι πρέπει.
Ποσειδ. ἡμεῖς τε γὰρ πολεμοῦντες οὐ κερδαίνομεν, κ. τ. ἑ.

VIII.

Herodotus IV. 19. Τὸ δὲ — *νομάδες ἤδη Σκύθαι νέμονται, οὔτ' ἔτι σπείροντες οὐδὲν οὔτε ἀροῦντες.* Corrige *οὔτε τι σπείροντες.*

IX.

Id. IV. 140. *καὶ λελυμένης τῆς γεφύρης ἐντυχόντες.* Lege *λελυμένῃ τῇ γεφύρῃ.*

X.

Id. VI. 86. *'Ολύμπια ἀναιρηκὼς.* Lege *ἀναραιρηκώς.*

XI.

Id. VI. 85. *πανώλεθρον κακὸν ἐς τὴν χώρην ἐσβάλωσι.* Expunge *κακὸν* et lege *ἐσβαλοῦσι.*

XII.

Id. VII. 139. *ἑλόμενοι δὲ τὴν 'Ελλάδα περιεῖναι ἐλευθέρην.* Dele *ἐλευθέρην.*

XIII.

Id. VII. 146. *καὶ τοῖσι μὲν κατεκέκριτο θάνατος.* Lege *τῶν μὲν.*

XIV.

Id. VII. 220.

ἢ μέγα ἄστυ ἐρικυδὲς ὑπ' ἀνδράσι Περσείδῃσι
πέρθεται, ἢ τὸ μὲν οὐκί, ἀφ' Ἡρακλέος δὲ γενέθλης
πενθήσει βασιλῆ φθίμενον Λακεδαίμονος οὖρος.

Lege *πέρσεται.*

XV.

Id. VIII. 79. *οὗτος ὠνὴρ στὰς ἐπὶ τὸ συνέδριον.* Lege *καταστὰς.*

XVI.

Id. VIII. 94. *Ταῦτα λεγόντων — αὖτις τάδε λέγειν, ὡς αὐτοὶ οἷοί τε εἶεν ἀγόμενοι ὅμηροι ἀποθνήσκειν.* Lege *οἷοι εἶεν.*

XVII.

Id. IX. 9. *Ἀθηναίων ἡμῖν ἐόντων μὴ ἀρθμίων, τῷ δὲ βαρβάρῳ συμμάχων.* Lege *ἡμῖν μὲν.*

XVIII.

Id. IX. 13. *οὔτε ἱππασίμη ἡ χώρη ἦν ἡ Ἀττική.* Dele *ἡ Ἀττική.*

XIX.

Id. IX. 26. *οὕτω ὦν ἡμέας δίκαιον ἔχειν τὸ ἕτερον κέρας ἤπερ Ἀθηναίους.* Lege *δικαιότερον.*

XX.

Id. IX. 27. *ἀναγκαίως ἡμῖν ἔχει δηλῶσαι.* Lege *καὶ ἡμῖν.*

XXI.

Id. IX. 104. *Μιλησίοισι δὲ προςετέτακτο μὲν τῶν Περσέων.* Post *μὲν* insere *ἐκ.*

XXII.

Thucydides III. 89. *καὶ τοῦ τε φρουρίου τῶν Ἀθηναίων παρεῖλε.* Supple *τι παρεῖλε.*

XXIII.

Id. VI. 6. *ἐν τῷ κοινῷ καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς.* Supple *ἔν τε τῷ κοινῷ.*

XXIV.

Id. VI. 24. *οὐδὲν ἂν σφαλεῖσαν μεγάλην δύναμιν.* Expunge *μεγάλην* et mox lege *προσκτήσεσθαι.*

XXV.

Id. VI. 62. *τὸ μέρος τὸ πρὸς τὸν Τυρσηνικὸν κόλπον.* Haec expungenda sunt.

XXVI.

Id. VI. 72. *ἔφη κατὰ τὸ εἰκὸς κρατήσειν σφᾶς τῶν ἐναντίων.* Dele *ἔφη.*

XXVII.

Id. VI. 73. *καὶ στρατηγὸν αὐτόν τε εἵλοντο τὸν Ἑρμοκράτην.* Duo postrema verba delenda sunt.

XXVIII.

Id. VI. 91. *ὅμως δ' ἂν ξυστραφέντες ἀθρόοι καὶ νῦν ἔτι περιγένοιντο.* Dele glossema *ἀθρόοι.*

XXIX.

Id. VI. 104. *καὶ γάρ τινα καὶ ὑποψίαν ὑπὸ τῶν παρόντων κακῶν ἐς ἀλλήλους εἶχον.* Dele *κακῶν.*

XXX.

Id. VII. 43. *καὶ ἄνδρας τῶν φυλάκων ἀποκτείνουσιν.* Supple *καὶ ἄνδρας τινάς.*

XXXI.

Id. VII. 86. *ξυνέβαινε δὲ τὸν μὲν πολεμιώτατον αὐτοῖς εἶναι Δημοσθένην διὰ τὰ ἐν τῇ νήσῳ καὶ Πύλῳ, τὸν δὲ διὰ τὰ αὐτὰ ἐπιτηδειότατον.* Dele *Δημοσθένην.*

XXXII.

Id. VIII. 26 f. *ὡς τάχιστα βοηθεῖν Μιλήτῳ.* Lege *βοηθῆσαι.*

XXXIII.

Id. VIII. 66. ἦν δὲ τοῦτο εὐπρεπὲς πρὸς τοὺς πλείους, ἐπεὶ ἕξειν γε τὴν πόλιν οἵπερ καὶ μεθίστασαν ἔμελλον. Lege τὴν πολιτείαν.

XXXIV.

Id. VIII. 75. ἔπειτα μέντοι ὑπὸ τῶν διὰ μέσου κωλυθέντες καὶ διδαχθέντες. Lege ἀναδιδαχθέντες.

XXXV.

Xenophon Hellen. IV. 8. 5. καὶ τοὺς μὲν ἰόντας ἁρμοστὰς φίλως ἐδέχοντο. Lege φιλικῶς.

XXXVI.

Aeschines in Tim. § 62. ἐν παντὶ δὲ κακῷ γενόμενος. Lege κακοῦ.

XXXVII.

[Demosthenes]. p. 1346. ἔγραψε ψήφισμα ἐν τῇ βουλῇ Ἀπολλόδωρος βουλεύων. Vocc. ἐν τῇ βουλῇ expungantur.

XXXVIII.

Id. p. 1371. ὅτι τήν γε σοὶ γυναῖκα δοθησομένην. Lege ὅτι τὴν τῷ θεῷ γυναῖκα δοθησομένην.

Id. p. 1383. κομιδῇ γὰρ ἤδη παντελῶς ἐξουσία ἔσται ταῖς πόρναις συνοικεῖν οἷς ἂν βούλωνται. Voc. παντελῶς insiticium est.

XXXIX.

Plutarchus Caes. 69. τῇ μὲν πρώτῃ μάχῃ κρατήσας. Corrige προτέρᾳ.

XL.

Id. in Bruto 22. γράμματι δὲ ταῖς ὑπ' αὐτοῦ καὶ κληρονόμος ἀπολελειμμένος. Pro ταῖς lege παῖς.